sensu superioris fieri posse, est notorium, imò illas non esse Simoniacas testatu Leurenius *in for. benef. p. 3. qu. 727. n. 2.* Cur ergo cessiones precum sint tanquam ilucitæ & simoniacæ reprobandæ, causa deficit. Cætera, quæ pro diluendis aliis objectionibus reliqua sunt, ad conflictum crastinum disputatorium reservamus, quandoquidem propter angustiam temporis filum jam jam inviti abrumpere cogimur.

TANTUM.

XXII.
DISSERTATIO
DE
REGALIBUS
tum in genere, tum verò in specie
DE
REGALIBUS SACRI IMPERII ROMANO-GERMANICI,
Pro Loco defensa à
JO. THEODOR SCHEFFER, J. U. D. SERENISsimi Würtemb. Ducis Consiliario, Supremi Dicasterii Assessore & Professore Publico
RESPONDENTE
MATTHIA BALTHASAR, Besighemensi, d Dicasterii Würtemb. Advocato.
TUBINGÆ, 1719.

PRÆFATIO.
L. B. S.

QUam Tibi L. B. præsentem sistimus de Regalibus dissertationem, illam in arduo non minus ac difficili, quàm nobili, amplo, perque omnes Juris & Publici & Feudalis particulas diffuso versari argumento, nemo est, qui possit ignorare, si vel à limine saltem Jura salutavit publica. Ideo superfluum foret, de præstantia atque utilitate commentarsejus, quod unusquisque, ad notitiam Rerumpublicarum. earumque Status, Forma &c. acquirendam, per se videt necessarium. Intellexere isthoc, qui tam operose, tantoque cum eruditionis apparatu materiam hanc sibi excolendam sumsere, nunc Aularum Illustrissimarum

operâ hunc compum percurrere, eminent, Scriptores: Pruckmannus, Stamlerus, simarum Ministri, nunc verò & Academiarum Doctores publici, quos inter qui datâ Sixtinus, Conradus ab Einsidel, Bocerus. Conradus & Benedictus Carpzovii, & quem palmam tenere putes, sub Jurium Majestatis rubro. celeberr. Zieglerus. Hi enim omnes per singulas Regalium species eundo, quicquid ferè hic dici potest, tàm solicitè, tamque prolixè excusserunt, ut, qui nova in hoc genere tentat, videatur post Homerum Iliada moliri. At verò, quemadmodum nec messis datur, quæ post collectas mergites spicilegium nonrelinquat; ita nec hic omnia tamplenè tamque accuratè dicta arbitramur, quin dicenda restent; præsertim cum non omnes, qui ad scribendum de Regalibus se accinxere, pari rerum Juriumque peritia instructi accesserint. Sic multos videas, qui genuinorum Juris publici principiorum ignorantia laborarunt. Alios, qui affectuum & partium studio abrepti adulandi magis, quam veritatis profitendæ finem habuere: Alios, queis sola inclarescendi nomenque aliquod adipiscendi prurigo calamum direxit; alios denique, qui rerum ordinem iustamque tractationis methodum insuper habentes, verborum dubiorumque scholasticorum tricis sese implicarunt potius, quam explicarunt. Itaque cum jam Sacra Statutorum Academiæ nostræ observantia & consuetudo nos proritè capessendo Munere Professorio, à Serenissimo Patriæ Patre noviter, idque clementissimè, nobis demandato, publicum aliquod nostræ qualiscunque in Jure Publico nostræ notitiæ specimen edere jubeat; Ere & scopo instituti nostri fore arbitrati sumus, si in Dissertationis Inauguralis argumentum nobilissimam de Regalibus doctrinam publicè proponemus, atque ita tùm in Regalia in genere, tum in ea, quæ in Imperio nostro Romano-Germanico longè alio à cæteris Rebuspublicis habitu, comparent, tantisper inquirerimus. Quod verò dum jam facere aggredimur, certè ii non sumus, qui nos modulo metiri nostro haud sciamus. Absit igitur, ut de nobis præsumamus, quasi vel nova, alisque hucusque non perspecta, quod quidem insciitia, vel meliora, quod putare superbiæ foret, in medium afferremus. Sed nec omnia illa, quæ vasto Thematis nostri ambitu comprehenduntur, hic adducta aut tacta pollicemur. Lineas saltim duximus nonnullas, viresque nostras, imbecillitatis propriæ alias sat conscii, in præsens experimur. Cœterùm cum angustia pagellarum, intra hunc numerum ex voluntate nobilissimi atque Doctissimi Dn. Respondentis nostri includendarum, plura quæ de Regalibus v. g. de personis Regalium capacibus, item de modis ea & acquirendi & amittendi &c. dicenda fuerant, haud admiserit: Itaque illa quæ supersunt, peculiari, si Deus vitam viresque concesserit, post hanc secutura Dissertationi reservamus. Tu vero B. L. de conatibus nostris, quos tuo lubenter judicio submittimus, judica benigne! Videbis, nos ab aliorum placitis nonnunquam abscessisse, sed modestè. Igitur & Tuam nos censuram expectamus, ubi justam, ubi & modestam. Vale.

CAP. I.

CAP. I.

De

Voce Regalium ejusque tum origine, tum variis acceptionibus.

SUMMARIA.

§. 1. *Vocis Regalium originatio historica.* §. 2. *Ejusdem derivatio Grammatica.* §. 3. *Deo nomine Regis, ejusque significatu laxiori.* §. 4. *Elogia & Synonyma Regalium.* §. 5. *Eorundem homonymia seu variis significatus.*

§. 1.

REgalium vox barbara est & veteribus Romanis eorumque JCtis æquè, ac Classicis auctoribus prorsus incognita. Silent de hac propterea Lexicographi communiter, manifesto, quod credimus, indicio, Regalium natales non nisi à recentioti ætate arcessendos esse. Sed nec ii Scriptores, quibus primum hæc vox usurpari cœpit, in designanda ejus infantia admodum conspirant, incunabula ipsius in Seculum XII. conjiciente Lehmanno *in Chronico Spirensi lib. 2. cap. 35. p. m. 119.* quando ille ibidem vocem hanc ante tempora Henrici V. non reperiri censet, sinistra hac inductus ratione, quod ante Henricum Imperatores & Reges Germani nullas Clericis civitates vel Regalia donaverint; aliis verò, quos inter Sixtinus & Bocerus in *trr. de Regalibus*, adhuc infra ætatem Henrici abeuntibus & Regalium ortum Fridrici I. Barbarossæ constitutioni, quæ extat *2. F. 56.* demum adscribentibus. Conf. B. Dn. Joh. Wolffgang. Textor in *Jur. Publ. Cas. tit. 9. num. 4.* Quicquid verò de hac, quam nostram non facimus, controversia sit; id tamen certum est, vocabulum istud in antiquioribus chartis ac monumentis vix conspici, iis, quæ imperante demum Ottone M. prodierunt. vid. Carol. Sigonius *de Regno Italiæ lib. 12.* Deinde & illud verum, quod quoad rem initia & incrementa statim sua ceperint Regalia cum origine bene constitutarum non saltem Monarchicarum, sed & Aristocraticarum, Democraticarum vel aliarum cujuscunque generis Rerumpublicarum. vid. Rümelin. ad *A. B. p. 3. Diss. 2. th. 25.* ibique Myler ab Ehrenbach. *in addit. p. m. 655.* Quare etiam de Germania nostra antiqua contra Lehmannum *d. l.* affirmare haud dubitamus, sub Francorum jam Regibus nonnullos jura quædam Regalia exercuisse, licet non in gradu isto eminenti ac hodie, & quandoque magis per modum privilegii. Quod præsertim de Statibus Ecclesiasticis probare satagit Helmstetter in *disp. Argent. an Status Ecclesiastici habuerint Regalia tempore Francorum?* itemque Schilter *in tr. de libertate Ecclesiar. Germ. lib. 2. cap. 2. §. 2. sqq.* quibus jungi meretur erudita *dissertat.* Dn. D. Eisenhardi *de Jure Diplomatum cap. 3. §. 4.* Similiter in Italia quoque olim jam Regalia fuisse prædia & dignitates sive jura, quæ Reges bene meritis ad arbitrium concedebant, de patria sua testatur supra laudatus Sigonius in *Lib. 7. de Regno Ital.* citatus hanc in rem à Pruckmanno *in tr. de Regalibus cap. 1. n. 2.*

Sed castigatus à Regn. Sixtino in eo, quod vectigalia, telonia, monetas & similia à Ducatu, Marchionatu & Comitatu, tanquam Dignitatibus, separans, Regalia appellaverit prædia. vid. Sixtin. *de Regalibus lib. 1. cap. 1. n. 16.* Itaque patet ex dictis, aliam Regalium ætatem esse, si ad vocem præcisè, aliam si ad rem ipsam, attendamus. *

II. Regalia verò unde ita appellentur, suaviter somniant DD. siquidem nonnulli notationem ejus à vocabulo Regis & adverbio Græco λίαν, quasi valde Regium: alii à Vocabulo latino Germani Regis-Lehen/ quasi Reichs-Lehen/ infausto utrique tamen conatu, deducere laborant. Rectius ergò, quæ & communis Ddum Sententia est, (vide *Rosenthalium*, *Sixtinum*, *Knickenum*, *Pruckmannum*, *Bocerum*, *Niellium aliosque à Conrado ab Einsidel citatos in tr. de Regalibus cap. 1. num. 12.*) Regalia ita nuncupantur à Rege, tanquam Imperii nomine omnium antiquissimo. Etenim Majestas, & quæ hanc consequuntur Regalia, nullibi magis conspicua sunt, quam in Regno. vid. Dn. D. Schweder noster in *introduct. ad Jus Public. part. spec. sect. 1. cap. 4. §. 2.* Dum verò Regalia derivamus à Rege, sumimus hic vocabulum Regis non prout genericum est & aliis quoque Imperantibus, quibus nulla cum Imperio Romano cognatio intercedit, commune sed prout per illud καθ' ἐξοχὴν olim Imperator Romanus in Juribus Civili, Feudali & Canonico designatus fuit. Hanc enim veram & primam vocis Regalium originationem esse, ex omnium fere veterum tum recentiorum, quorum aliqui historias condidere, alii Leges publicas evolvere, scriptorum consensu dilucide apparet. Nec obstat, Regis nomen Romanis olim adeo invisum atque exosum fuisse, cum quidem, ut historiæ docent, illud tandem in Imperio occidentali natalibus suis restitui & postea admodum frequens esse cœperit. Optime hinc Conrad. & Benedict. Carpzovii, inquiunt, *connexa propria quæ sunt Summæ Majestati, Regalia appellantur, nomen sortita ab imperatore Romano, pro quo Feudistæ Regem nominant 1. Feud. 26. pr.* ibi: *Si vero ad Regem non venerit. 2. Feud. 34. pr.* ibi: *coram Rege definiatur. 2. Feud. 54.* ibi: *Regem, aut sub Rege, &c.* Quin Regis nomen post mutatam Reipubl. Romanæ faciem, quasi postliminii jure in Imperium rediit, pristinamque invidiam adeo non exhorruit, ut & ipse Justinianus Imper. *Regalem sensum* promiscuê usurparit in *L. fin. C. de LLbus* & *regale culmen* vocaverit Imperatoriam Majestatem in *L. 3. C. de quadrienn. præscript.* Adde, quod Imperator sequiori ævo ante coronationem Papalem, quam illius seculi superstitio Imperatori necessariam crediderat, plerumque Rex vocatus fuerit, uti

* B. Dn. Titius in *Spec. Jur. Publ. lib. 3. cap. 5.* §. 1. Coringium, *de Urb. Germ.* §. *59.* inquit, vocabuli hujus originem ab initiis Regni Francici repetere. Cui verò sententiæ non adversatur nostra hoc §. Imo adducta.

uti id observat Sixtinus *de Regal. cap. 1. num. 4.* ut nii dicamus de publicis quæ prostant tabulis, præsertim de Recessibus Imperii diversis, in queis Fridericus Imperator & Maximilianus I. aliquoties se Reges nominant. vid. Conrad ab Einsidel. *d. l. cap. 1. num. 13.* Quæ cum ita habeant, de voce Regalium id tenendum: eam inter Germanos primum natam, ab initio Jura Imperatoris, maximè verò Fisci Imperatori quo de videsis Itterum *de Feud. Imperii cap. 8. §. 4.* Deinceps verò Interpretibus Juris Feud. ac Canonici denotasse omnia jura ad Regem alias spectantia, & tandem ab his Statibus Imperii eorumve juribus territorialibus fuisse applicata. vid. omnino Werlhof. *Disp. de alienat. & concess. jur. quæ vocantur Regalia th. 3* & qui hunc laudat, Dn. D. Schwederum nostrum in *Disputat. de Augustiss. Imperatoris Reservatis.* §. 1.

III. Interea probe advertendum, ipsum Regis nomen omni ferè ævo adeò latè patuisse, ut in ambitu suo Principes omnes, Superiorem non cognoscentes, comprehenderit, & etiamnum comprehendat. Quæ etiam ratio est, quod secundum indolem Status nostri Romano-Germanici, Regalium nomen & Imperatori & Statibus Superioritate territoriali, iisque annexis juribus majestaticis gaudentibus, rectissimè attribuatur, quanquam dispari denominationis gradu. Tribuitur enim istud Sacræ Cæsareæ Majestati in gradu prorsus excellentiori, & quasi per antonomasian quandam, eo quod illa maxima semper tum inter Reges Christianos, tum apud Turcas cœterasque Barbarorum Gentes, licet non absque invidia & æmulatione earum, gavisa est & hodienum gaudet prærogativa, nullumque post DEUM immortalem in his terris, sive Imperio, sive ordine ac dignitate recognoscit Superiorem. vid. Kirchner *de Republica. Diss. 2. th. 2. lit. a.* pertinet huc inscriptio illa, quæ legi dicitur in curia Wormatiensi:

Astra Deo nil majus habent, nil Cæsare terra:
Sic Cæsar terras, ut regit astra Deus.

Atque hinc etiam Cæsar in Imperio nostro passim Caput primarium, **das Oberhaupt im heiligen Reich.** Item **der oberste Vogt der Christenheit** appellatur, ab eoque tum conservationem, tum augmentum Imperii, ceu summi in Germania cimelii, sibi pollicentur Status in *Rec. Imp. Spirensi de Anno 1559. in fine pr.* ibi. **Die Verwaltung deß Reichs / auch anhangende** Dignitæt, **Hoheit / Regierung ꝛc. zu deß heiligen Reichs Teutscher** Nation **und deß gemeinen Vatterlandes Auffnehmen / Nutz und Wohlfahrt zu tragen und zu führen.** Quandoquidem verò & Status Imperatori tanquam pia membra capiti suo uniuntur, vid. *Rec. Imp. Ratisbon. de anno 1567. §.* **Damit auch** 65. ibi: **Und als dem Oberhaupt und Ihnen als den Gliedern ꝛc.**

Imo ejusdem Coimperantes * sunt vid. B. Dn. Titius in Specim. Jur. Publ. lib. 7. cap. 8. §. 26. per se tamen liquet, hoc, quod Imperator caput, illi verò membra audiunt, ipsorum Jurisdictioni territoriali & inde dependentibus Regalibus planè nihil derogare. Quod si enim ad praxin, & quæ fidissima rerum magistra est, experientiam, respiciamus, constabit, omnia ferè, paucis per Indolem Imperii exceptis, summæ potestatis jura à Statibus usurpari. Idcirco rectè etiam de iis cum respectu ad subditos provinciasque suas consideratis prædicatur vulgatum & ad raucedinem usque decantatum illud Publicistarum axioma: *Tantum* (imo quibusdam in casibus plus) *quemlibet Statuum in suo territorio posse, quantum Cæsar potest in universo Imperio.* vid. *pecul. Dissertat.* de orig. illustris regulæ: *Principem & Statum Imperii esse Imperatorem in suo territorio*, quæ exstat ab Ahasver. Fritsch. inter *Exercit. Jur. Publ. part. 2. Disp. 9.* Indeque illi non tam Status & Vasalli Sacræ Cæs. Majestatis, quam Status & vasalli Imperii in LLbus publicis passim appellantur. vid. Limnæi *Jus Publ. tom. 1. cap. 10. num. 50.* & Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 14. aph. 29. num. 5.* Nec verò in opprobrium id cedit Augustissimi nostri Impetatoris, vel Majestati quicquam ejus præjudicat; quin potius præeminentia ipsius inde adaugetur, dum scilicet talibus præest ac dominatur, qui etiamsi potentia & dignitate Regibus vix cedant, eum tamen, (loquimur cum Juris Publici Dbus) ceu fontem omnis dignitatis & præcellentiæ suæ, tandemque ut supremum Judicem, quique cœteros omnes dignitate præfulgeat, submississimè venarantur, confitente & ipsum sat audaci aliàs Cæsareæ præeminentiæ impugnatore Hippolito à Lapide *de Ratione Status part. 1. cap. 2. circa fin.* Nimirum quo major nobilitas eorum, quibus præest, qui imperat, eo sublimior quoque ex objecto in Imperantem ipsum excellentia refulget. Hinc etiam summo sibi olim honori duxit Maximilianus I. Imperator, quod sese Regem Regum appellare potuerit. Et invictissimus ejus successor Carolus V. non obstante, quod jam ante Dominus plurimorum regnorum & summarum opum fuerit, nihil præeminentiæ suæ deesse arbitratus, præter solam hanc dignitatem Cæsaream, postquam hanc adeptus

* Longè aliam de Statuum dignitate, eorumque in exercitio Regalium concursu opinionem fovet Illustr. Dn. Baro de Lyncker in Analect. ad Schwed. *part. gen. cap. 4. §. 49.* Quando *Status*, ait, *Imperii in præcipuis juribus, potissimum in his, quæ ad sui exercitium potentiam & vires desiderant, non quidem tanquam concausa, vel causa socia, aut ut causa instrumentalis, sed tanquam conditio sine qua non concurrunt.* Sed nimium Virum istum Illustrem potestati Statuum, eorumque in res Imperii influentiæ derogare ad unum ferè omnes contendunt, quibus vacua à præjudiciis mens est; fortius omnino aliis ab influxu & effectu reali ad causam verè talem concludentibus.

adeptus esse, publicè professus est: *Se in aliis Regnis servis, sed in Germania Regibus dominari.* Nec inepte huc etiam adduxerimus memorabile judicium Alphonsi Sapientis, Aragoniæ & Neapoleos Regis, qui Fridericum III. Imperatorem, cum aliquando Neapolim venisset, nullo non honoris cultu affecisse, Aulicis verò, ipsum hoc nomine reprehendentibus, respondisse fertur: *Vestrum non est de Regibus judicare. Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi. Ille est caput & Dux Regum.* vid. Christ. Besoldus in *Tr. de jurisdictione Imper. Rom. quæst. 6. in f.* & *plur.* Schüz in *Colleg. Jur. Publ. Exerc. 3. th. 2. lit. a. p. 140. sq.* & *Exerc. 6. th. 15. lit. a. p. 377. sq.*

IV. Variis autem hæc ipsa jura à Ddbus condecorantur elogiis. Quandoque enim Sacra Regni, jura & Arcana Imperii, Regia Sacra, Sacra Sacrorum, quandoque etiam Dos Coronæ Regiæ, Justa extra commercium constituta &c. nominantur. Græcis κρύφια, item, βασιλικὰ, κυρία ἀρχὴ, καὶ κύριον πολίτευμα. Italis *Ragione di Dominio*, vel *Dritto Regale* & Gallis *le Droit Royale*, dicuntur. Apud Germanos verò eadem nunc splendidis nominibus **der geheimbden Reichs-Sachen**/ item: **der Käyserl. oder Landsfürstl. Reservaten und Hoheiten** &c. nunc verò vulgari tantum voce **der Herrlichkeiten** salutantur. Loca ex Recessibus Imperii allegata vide apud B. Dn. de Gœlniz, olim Cameræ Imperial. Assessorem, eundemque per-Illustris Præsidentis nostri in summo hic loci Dicasterio, Domini Philippi Henrici de Gœlniz in **Waldenstein**/ Parentem *in Gymnasmate de Regali Vectigalium Jure cap. 1. n. 8.* Sed cum posterior hæc vox (**der Herrlichkeiten**) ad signendam veram Regalium ideam haud quadret, atque ex recepto loquendi usu, quo illa exigua saltem quædam Statuum jura, cum Regalibus strictè sic dictis haud convenientia, vid. Itter *de Feud. Imp. cap. 8. num. 4.* intimat, nimium angusta, nec naturæ Regalium exprimendæ satis idonea sit & adæquata. Itaque ubi in titulos hosce atque nomenclationes incidimus, opus est, ut ad materiam semper & personas, de quibus illæ prædicantur, probè respiciamus. Pauermeister *de Jurisd. lib. 1. cap. 4. num. 14.* & Speidel *voce:* **Herrlichkeiten.** *

V. Porro etiam multifaria est Regalium significatio. Capitur namque hæc vox, sensu licet admodum improprio.

(1.) pro Diademate & reliquis Imperialium reliquiarum thesauris ac cimeliis, in coronatione Regia etiamnum adhiberi consuetis; quæ aliàs etiam Lipsana & Insignia Imperialia vel simpliciter Clinodia Imperii, **die Reichs-Kleinodien**/

* Aliam tamen tibiam inflat, vocemque **Herrlichkeiten** voci Regalium plane synonymam dicit Schraderus *inter Consil. Borcholt. part. 2. Cons. 8.* citatus à Sixtino *de Regalib. lib. 1. cap. 1. num. 19.*

dien/ appellantur, plurimam partem in hunc usque diem Norimbergæ, pauciora verò Aquisgrani asservanda. videsis Obrecht *Diss. de Clinodiis Imperii.* imprimis verò Illustr. Dni. Ludewig. *Norimbergam Insignium Imperialium tutelarem.* ut & Contin. Diarii **von der Crönung Ihro Käyserl. Majest.** Caroli VI. *pag. 30. junct. append. pag. 1.*

(II.) pro Jure, quod Regi competit, *partim* ad fruendum reditibus, qui ad Ecclesias Cathedrales sede vacante pertinent, donec novus Episcopus, fide Regi præstita, Ecclesiæ possessionem adipiscatur; *partim* ad conferendum præbendas aliaque beneficia, quibus animarum cura non incumbit. Ita enim Jus Regalium, vel magis barbarè *Regaliarum*, quod Itali *il Dritto delle Regalie* & Galli *le Droit des Regalies* appellant, definit Petrus de Marca Archi-Episc. Parisiens, in *tr. de concordia Sacerdotii & Imperii. Lib. 8. cap. 1. §. 1.* addens ibidem, Regaliam juxta datam descriptionem à pragmaticis dividi solere in temporalem & spiritualem. Ad illam referri redituum temporalium fruitionem, ad istam verò beneficiorum collationem. Eadem ferè est Regaliarum definitio, quam ex Natalis Alexandri *Tom. 7. hist. Eccl. ad secul. 13. Dissert. 8. art. 1. §. 1.* Illustr. Dn. Böhmerus exhibet *in observationibus selectis ad ejusd.* Petri de Marca *lib. 6. cap. 10. observ. 5. §. 2* Ita autem Natalis: *Jus Regaliarum est Jus Regium fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis* (En Regaliam temporalem!) *& conferendi beneficia, curam animarum non habentia* (hæc verò est Regalia spiritualis) *quæ aliàs ab Episcopo conferri solent, donec novus Episcopus juramentum fidelitatis præstiterit Regi & ab eo investituram bonorum Ecclesiasticorum cœteraque huc necessaria acceperit.* Interea cave Regaliam confundas cum Jure Annatarum, quo de Illustr. Dn. Ludewig *integram* iterum, eamque una cum modo laudata vastæ eruditionis plenam *dissertationem* anno 1707. Halæ Venedorum edidit. Hoc enim, stricte sumta voce Annatarum, non minus differt à Regalia seculari, quam differt ab ea Jus deportus & Jus spoliorum Episcopalium, quorum omnium & definitiones & differentias succincte tradit laudatus modò Dn. Böhmerus in *observat. select. l. cit.* Cœterum hoc Regaliarum Jus non tantum Reges Francici sed & ipsi Germanici Imperatores, ceu de utrisque id affirmat ipse Petr. de Marca. *lib. 8. cap. 23. § 1.* (quamquam hi sæpè sub incongruo satis titulo supremorum Advocatorum & Patronorum Ecclesiæ, **als Ober-Vögte und Schirm-Herrn der Christlichen Kirchen**) animosè sibi adversus Pontificem Romanum seculo adhuc XI. & sub initium seculi XII. defendere. At deferbuit paulatim hic jura sua asserendi Germanorum ardor, ita ut jam suo tempore strenuus ille jurium Imperialium vindex, Fridericus Barbarossa, conqueri necesse habuerit, vix scintillam aliquam pristini circa sacra juris sibi relictam esse. vid. B. Dn. Schilter *de Libert. Eccles. Germ. lib. 5, cap. 6. §. 1. & 3.*

Hodiè verò, quod miserabile dictu etiam scintillula ista tum ex facilitate non-

nonnullorum maximè veterum, post Henricorum & Friderici II. tempora regnantium Imperatorum, tum ex callidis Pontificum Romanorum machinationibus eo usque extincta est, ut Augustissimo Imperatori nostro nihil amplius ex toto Regaliarum apparatu supersit, præter minutum istud atque exiguum Jus primariarum precum, quod Germanis dicitur **das Recht der ersten Bitte/** & Commendatio, quæ Precistæ sive Præsentato datur, **ein** Panis-**Brieff/** item **vor- und** præsentations **Schrifft- und Layen-Pfründe/** de quo jure vid. Dn. D. Schwedet noster. *P. Spec. sect. 1. cap. 1. §. 14*, & omnium novissime. Dn. D. Mich. Henr. Gribner in doctiss. *Dissert. de primariis precibus Imperialibus.* Melior itaque & in hoc longe potior, præ Germania nostra, Galliæ est conditio. In ea enim vigor Regaliarum integer adhuc atque illibatus perstitit. Neque enim solum per Sanctionem Pragmaticam olim sub Carolo VII. anno 1438. publice confirmatam de Regaliarum jure Galli sibi caverant: Sed & post inita à Francisco I. cum Leone X. Concordata, in quibus Regaliæ, præsertim Annatarum jus, infirmatum abolitumque videbatur, animum haud una vice spiritusque resumsere Reges Christianissimi, atque inter hos præprimis Ludovicus XIV. nuper demum demortuus, sibique hoc antiquum jus suum, ringentibus licet Pontificibus Romanis, maximè Innocentio XI. mascule vindicarunt, asserentes, illud jure proprio, vel ut Galli loquuntur, *à cause de Sa couronne* non verò beneficio & concessione Curiæ Romanæ ad se pertinere, ceu hoc posterius ex nimia erga Sedem Rom. reverentia Petrus de Marca statuisse videtur *lib. 8. cap. 2. & 22.* in eo quam maximè dispar Ferd. Vasquio Hispano, qui jura Regis sui Philippi II. contra Pontificem Rom. mira animi constantia tuetur. *lib. 2. controv. Illustr. cap. 51. n. 37. seqq.* laudandus propterea & commendandus à Magnif. Universitatis nostræ Cancellario, Dn. D. Jægero in *præfat. Tr. sui de Concordia Imperii & Sacerdotii.* Plura in controversia Gallorum cum Papis de jure Regal. qui desiderat, adeat post Molinæum *in Comment. ad Consuet. Paris.* Dn. D. Felzium in *Excerpt. Controv. Illustr. de Regalib. controvers. 4.* B. Dn. Osiandrum nostrum *in pecul. diss. de Jure Regaliarum.* Pfeffingeri Vitriarium illustratum *lib. 1. tit. 15. §. 24. lit. a. sqq.* & omnino etiam Burnetum **in dem Einheimischen Krieg des Pabstthums/ oder ausführlichen Historischen Bericht von dem neulichen Streit der** Regalien **in Franckreich.** Facit huc etiam hodiernum, quod Episcopis Gallicanis cum Clemente XI. ejusque infelici Bulla: *Unigenitus* &c. intercedit litigium, quippe ex quo clarissimè dispalescit, quam tenaces Galli etiamnum Jurium suorum atque libertatis Ecclesiasticæ sint, quantoque animi fervore contra Romanenses impetus pars melior istorum decertet. vid. Dn. D. Pfaffii nostri Jun. *dissertatio novissime edita*, in qua *Corpus Doctrinæ moralis à Dnn. DD. Sorbonnicis*, pendente adhuc lite *Quesnelliana* concinnatum, notis illustratum exhibet, simulque synopsin sistit historiæ Quesnellianæ.

(III.) Pro

(III.) Pro Juribus ad solum Imperatorem vi dignitatis Cæsareæ in Germania nostra pertinentibus, quæ etiam Regalia κατ' ἐξοχὴν & in specie Imperatoris Reservata (infra pluribus tangenda) **die Käyserl. Hoheiten und** Reservaten nominantur. Licet enim per Leges publicas in uno atque altero restricta sit summa Cæsareæ Majestatis potestas; hoc ipsum tamen nil officit, quin Regalia statim à tempore in se collatæ dignitatis possideat jure proprio & independenti, illaque in honorem & utilitatem Imperii pro lubitu exercere possit. vid. Recess. Imper. de anno 1570. §. **alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit.** 132. ibi: **dem heiligen Reich zu Ehren und Wohlfarth** ꝛc. Quin vero, uti reliqua sidera lucem suam accipiunt à Sole, ita splendorem suum à Sacra Cæsarea Majestate mutuari creduntur Principes ac Status Imperii, cum quidem (liceat tantisper iterum verbis uti Ddum) ex hac ceu mari profundissimo & fonte perenni omnis præeminentiæ ac Jurisdictionis in Imperio nostro, omnesque Statuum dignitates ac Regalia fluant atque ad eandem quoque refluant. vid. post Matth. Stephan. *de Jurisdict. Lib. 1. n. 24. seqq.* itemque *cap. 2.* Müllerum ad Struv. *S. I. Civ. Ex. 4. th. 79. lit. a.* Dn. D. Grass noster *in disputat. de modo taxandi Jurisdict. th. 2.*

(IV.) Pro feudis Regalibus, quæ ipsa aliis nominibus feuda majora titulata, & à modo investiendi vexillifera, item vulgo sceptri, **die Fahn- und Scepter-Lehen** insigniri solent. Definiuntur autem ista, quod sint Feuda, cum dignitate Regali ab eo concessa, qui potestatem conferendi habet. vid. post Rosenthal. *de Feud cap. 2. conclus. 1. num. 3.* Magnif. Dn. Rectorem nostrum D. Majerum in Comment. *ad Jus Feud. cap. 2. §. 15. seqq.* de natura Regalium feudorum fusè disserentem. Mores tamen seculi nostri si respicias, accommodatius fortean definiri poterunt, quod sint feuda, quæ ex præsumpta investientis Principis voluntate, nisi aliud quid obstet, vasallum ejusque legitimos descendentes Regali Dignitate ornant. Itter *de feudis Imperii cap. 3. §. 7.* Atque hæc feuda Regalia licet pro ipsis Regalibus accipere videatur Hottomann. *in Lex. Feud.* magnam tamen inter Regalia strictè sic dicta & feuda Regalia differentiam esse, vel exinde patet, tum quod illa per vocabulum jurium, hæc rerum rectius definiantur, adeoque Regalia in se respectata sint jura & per consequens res incorporales; Feuda Regalia verò res corporales, suis licet Regalibus iterum atque juribus ornatæ. * vid. Niell. *disput. feud. 11. th. 1. lit. b.* tum quod de his solus Imperator seu celsissimum Judicium Aulicum; de illis vero & Camera Imperialis cognoscat. uti ex *ordinat. Cam. p. 2. tit. 27. & post Schrad. in tr. de feud. p. 10. Sect. 2. num. 70.* argumentantur Carpzovii *de Regalibus cap. 1. aph. 8.*

(V.) Pro Juribus, quæ ab Imperatore quidem dependent, sed à Statibus Imperii

* vid. pag. seq.

Imperii tamen in alienis territoriis exercentur & eatenus diversa sunt ab iis juribus, quæ Status in suis Ditionibus vi Superioritatis territorialis proprio jure possident Illustr. Dn. Baro de Lyncker *in Analect. ad Struv. S. I. F. cap. 6. aph. 13. num. 1.*

(VI.) Pro juribus Majestaticis Principibus & Statibus Imperii immediatis, vel etiam mediatis à Cæsare sigillatim & absque territorio concessis, ita tamen ut Universali Jurisdictioni nil præjudicent. vid. post alios Klock. *de Contribut. th. 11.* atque hæc demum jura propriè **die Herrlichkeiten** dici merentur. Illustr. Dn. de Cocceji. *in Juris Publ. Prud. cap. 21. §. 7.*

(VII.) Pro omnibus ac singulis supremæ potestatis notis ac particulis. * vid. Ziegler. *de jure Majestat. lib. 1. cap. 3. §. 9.* & Dn. D. Schweder noster *in Introduct. ad Jus Public. sect. 1. cap. 4. §. 1.* Illustr. Dn. Christ. Thomasius *in Disput. de Præscriptione Regal. ad jura Subditorum non pertinente §. 7.* atque latior hic significatus ille tandem est, ad quem in pertractatione hujus argumenti curatius paulisper erit attendendum.

CAP. II.

De

Variis Regalium Definitionibus.

SUMMARIA.

§. 1. Varias sistit Regalium definitiones, Sixtini scil. Borcholti, Conrad. ab Einsidel, & Rosenthalii. §. 2. rejiciuntur hæ omnes tanquam definito suo angustiores & substituitur Definitio Thomasiana. §. 3. 4. & 5. hæc ipsa fusius explicatur & stabilitur.

* Frustra hic quisquam nobis objecerit, ita confundi Regalia & Jura Majestatis, à sese longè diversissima. Hoc enim ipsum, quod inter Regalia & jura Imperii, nescio quod discrimen, intercedat, perperam supponunt nullis solidis rationibus àdducti v. gr. **Christ. Liebenthal** *Coll. Polit. Exerc. 7. th. 24.* & Arnold. Clapamar *de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 21.* Enimverò quid impediat, quo minus laxiori in significatu vocabulum Regalium accipiatur? Quod in præsenti dissertatione dum & nos facimus, rectè Regalia & jura Majestatis pro synonymis habemus. Nitimur in eo non modo testimoniis supra allegatis, sed & consensu B. Dn. de Gölniz in laud *Gymnasmate de Regali Vectigal. jure cap. 1. num. 13.* contra Clapmarium, Liebenthalium & similes dicentis: *Sed si rem penitius inspiciamus, nulla plane differentia inter Regalia & Majestatis jura apparet; quod ex definitione & attributis, quæ communia habent, elucescit, possetque pluribus planum effici, si operæ pretium videretur.*

§. I.

QUam varia autem Regalium est acceptio, tam variæ etiam à Doctis eorundem nobis exhibentur definitiones. Prout enim quisque vel ex affectu singulari nunc in Cæsarem, nunc in Status Imperii proniore, vel ex peculiari Regalium quorundam intuitu ad scribendum se accinxit; Ita & varias, nunc latiores, nunc strictiores, nimisque inadæquatas definitiones protulit. Hinc aliquibus dicuntur *jura, ei qui superiorem non recognoscit, vel cui concessione aut præscriptione, consuetudineve quæsita sunt, competentia ad salutem & decus Reipublic. tuendum* Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 1. num. 14.* Aliis sunt jura, *quæ Imperatori Romano concessa sunt in præmium immensi laboris, quem pro Imperio sustinet.* vid. Borcholt. *ad tit. quæ sint Regal. numer. 2.* Rursus aliis sunt *iura Imperatoris Romani Majestati propria, ipsi in signum supremæ eminentiæ, ad Imperii utilitatem tributa.* Cont. ab Einsidel *tr. de Regalibus. cap. 1. num. 21.* cum qua definitione ferè coincidit hæc quam ex omnibus quasi compilatam exhibet Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 1. num. 1.* Quod sint *jura Imperii potissima & summa, Supremo alicui Principi ejusque Fisco in signum præeminentiæ & laboris immensi præmium ac utilitatis publicæ commodum, ad Imperii dignitatem & majestatem conservandam, tendentia, debita, data, concessa & reservata.*

II. Verum uti hactenus allatæ priores definitiones singulæ angustiores sunt suo definito: ita nec hæc Rosenthalii omnium Regalium Germanicorum naturam adæquate satis exhaurit. Nititur enim primò illa communi quidem, sed superflua & obscura Regalium in majora & minora, quæ & Fisci dicuntur, distinctione. Deinde & ipsa manca nimium & angusta est. Dantur siquidem in Imperio nostro Regalia quam plurima non Cæsari modo, sed & Statibus Imperii, Electoribus, Principibus, imo & Civibus reliquis, tùm vi Superioritatis territorialis, tum ex concessione Imperatoris, vel alterius cujusdam Status, in alienis quoque territoriis competentia, ita ut difficile sit, omnes & singulas Regalium species una definitione comprehendere. Quod si tamen dicendum, quod sentimus, forsan omnium rectissime ex Illustr. Dn. Thomasii mente statuemus: *Regalia in genere esse summæ potestatis partes, actiones Civium dirigendi, de rebus Reipublicæ disponendi & cum exteris de negotiis belli & pacis tractandi ad obtinendos Civitatum fines.* vid. Thomas. *d. disput. de præscript. Regal. ad jura Subditor. non pertinente.* §. 8.

III. Diximus ea *Summæ potestatis partes* propterea, quia Regalia non saltem illam quæ penes Regem, sed & quæ penes alios quoscunque Imperantes residet Majestatem, ceu partes totum suum, constituunt; Namque ut mox infra audiemus, & ipsa Majestas Civilis, ceu totum aliquod potestativum, ex pluribus poten-

potentiis conflatum, in tot partes potentiales dividi potest ac resolvi, quot aliàs in Republica occurrunt jura sub Regalium nomine venientia.

IV. Diximus præterea, partes illas circa tria potissimum objecta occupari 1. circa actiones Civium quod *Imperio* 2. circa res in Civitate publicas, quod *Dominio* 3. circa rempublicam qua talem, sive respectu sui, sive respectu Gentium exterarum regendam, id quod *Regimine* fit speciatim sic dicto, ut ita, quicquid est Regalium, haud incommodè ad hæc tria Imperium pura, Dominium & Regimen Reipublicæ referri possit. Quo nexu & qua necessitudine autem hæc tria sese invicem consequantur, id ex notione ac natura Majestatis à Civibus in Imperantem collatæ, eleganter docet Ill. Dn. Thomasius *d. l.*

V. Tandem & finium, quos Regalia respiciunt, mentio facta. Sunt autem illi Splendor, utilitas ac Securitas Reipublicæ, quos quidem nemo assequitur, nisi, qui suprema gaudet potestate seu Majestate. Hujus enim primaria cura esse debet, tueri jura Civium, propterea que dicitur, Sacra Deique Vicaria vis ac potestas tuendi jura Civium ac Reipublicæ. vid. Dn. de Cocceji. *Jur. Public. prud. cap. 7. §. 1. & 2.* & de fine ac scopo Imperii Roman. Germanic. addatur *peculiar. disput.* Dn. Nic. Wilckens quam habuit *Basileæ Anno 1702.*

CAP. III.

De

Regalium fonte, qui est Majestas, itemque de hujus subjecto proprio, indeque resultantibus formis tum Rerumpublicarum in genere, tum in specie Imperii Romano-Germanici.

SUMMARIA.

*

§. 1. de Fonte Regalium, qui est Majestas, deque hujus Divisibilitate. §. 2. de subjecto Majestatis, itemque de varis Rerumpublicarum Formis in genere. §. 3. de Forma & Structura Imperii Romano-Germanici. §. 4. de inæquali Majestatis inter Cæsarem & Status participatione.

* Videtur tamen Illustr. Dn. de Bode in *Disp. de Statu Reipubl. Germ. Feudali & feudis Regalibus cap 2. th. 1.* ad hæc ipsa Feudis Regalibus quibusvis annexa jura potissimum attendisse, & propterea Feudum Regale definisse, *quod sit jus exercendi Regalia in territorio competens, proprium quidem, sed non prorsus independens, ab Imperatore & Imperio Civibus Imperii concessum, vel per investituram confirmatum, cum obligatione fidei atque Officii Imperatori & Imperio præstandi conjunctum.*

§. I.

FOns igitur & scaturigo omnium atque singulorum Regalium est ipsa Majestas. Ex hac enim jura Majestatis promanant, ceu rivuli ex fonte. Et quemadmodum totum aliàs constituitur per partes suas, ita & Majestas per ipsa Regalia, tanquam per partes suas potestativas. Siquidem hoc de natura totius est, ut & in partes distribui possit, & ex his in unum collectis iterum perfici atque integrari. Quæ si benè observentur, tunc facile fuerit judicium interponere tritæ isti de Majestatis divisibilitate disceptationi. Notum est Bodinum *in tr. de Republ. lib. 2. c. 1.* Kirchnerum *de Republ. disp. 2. num. 5.* Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. class. 2. cap 2. n. 231. sqq.* aliosque, qui Rempublicam mixtam dari inficiantur, id evincere conari, quod Majestas planè individua sit, omnemque respuat partitionem. Verùm videntur hi in hanc opinionem delapsi ex eo, quod totum morale seu potestativum ejusque essentiam ac naturam minus dextrè æstimarunt.

Certè Majestas totum aliquod est, etsi non physicum, ut integrale, morale tamen, virtuale, ac potestativum. Natura autem totius alicujus moralis tam simplex non est, quin divisionem patiatur. Hinc licet anima nostra, quæ Philosophis aliâs quoque totum aliquod potestativum audit, realem partium suarum divisionem non admittat, id tamen non æquè procedit de alio, quale nos hic intelligimus, toto, quippe quod principium spirituale, adeoque realiter indivisibile, ut anima non est, sed potius compositum, quoddam morale, & eo ipso, quia ex partibus compositum in partes iterum divisibile. Planum hinc est, indivisibilitatem conceptum Majestatis essentialem haudquaquam ingredi, recteque illos agere, qui statuunt Majestatem dividi posse, uti Dn. D. Schweder noster *in Introduct. in Jus Publ. part. gen. cap. 2. §. 19. Sed tamen*, inqit, *Majestas nihilominus, ut totum aliquod potestativum, in partes suas potentiales rectè dividitur.* Similia & B. Dn. Struvius habet *in Synt. Jur. Feud. cap. 6. §. 13. n. 1. Regalia*, dicens, *nihil aliud sunt, quam Jura Majestatis, quæ sunt potestates variæ, quibus veluti partibus Majestas, tanquam totum aliquod potestativum, constat.* Pariter B. Dn. Zieglerus *in tract. de Jur. Majest. lib. 1. cap. 3.* postquam fulè de Majestatis divisibilitate disputarat, tandem his verbis concludit: *ut verò definiam tandem, quid de proposita controversia videatur, ajo, dividi posse Majestatem & divisam eam fuisse vicibus non unis, nec ratione objecti tantùm, sed ipsam quoque in se, & divisibilem propterea etiam esse tum, quando consideratur in actu signato, & in existentia sua objectiva (quatenus scil. hac formali contradistinguitur) abstrahendo ab omni materia & circumstantiis individuantibus.* Ast cum hæc nimis scholasticè pro ea, quæ Zieglerus polluit, subtilitate, proponantur, audiamus nunc etiam B. Dn. D. Hochstetterum nostrum *in Colleg. Pufendorf. Exerc. XI. §. 19.* ubi hic *in nota* ** perspicuè non minus, quam nervosè præsens argumentum tractat asserit-

asseritque, rationes haud deesse, quod Majestas in partes dividi possit. *Cum quidem* (sunt verba B. Viri) *nihil impediat vel ex parte materiæ, quia in partibus Majestatis est multitudo: vel ex parte efficientis, quæ est voluntas humana, & dividi potest: vel finis, qui voluntates ad divisionem movet, ut est evitatio tyrannidis, & abusionis Regalium, cui malo remedium est partitio Regalium, siquidem qui non habet omnia Regalia, is nec omnia potest, quæ vult. Item finis eiusmodi est conservatio concordiæ inter imperantes* &c. placet his omnibus præter complures alios, quorum omnia recensere hic supersedemus, subjungere B. Dn. Gottl. Gerh. Titium, quippe qui *in specim. Jur. Publ. lib. 7. cap. 7. §. 106. sqq.* rem solidè pertractat. Merentur verba ejus adduci, quando *l. c. §. 106. Majestas*, dicit, *non est indivisibilis per essentiam, cum enim ad exemplum aliorum jurium consensu, quoad plura objecta, excitetur, utique illius partes juxta hæc separari possunt.* Et mox §. 107. *Hinc vel ita partes dividi possunt, ut diversis subiectis independenter competant, vel possunt quædam partes planè tolli, ut manca sit Majestas, ac aliquando in locum partis deficientis potestas ignobilior & dependens substitui.* Conf. & Pufendorff. *de I. N. & G. lib. 8. cap. 4. §. 9. sqq.* & Grotius *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. n. 17.*

Nimirum, ut stylo utamur Lynckeriano, *Resp. 55. n. 107.* habet se Majestas ad modum totius per aggregationem, quale acervus lapidum. Quemadmodum enim acervus manet, licet unus alterve lapillus subducatur; ita & Majestas manet majestas, licet una alterave ejus pars vel deficiat prorsus, vel in diversa etiam subjecta transferatur. Arnisæus *in tr. de Jur. Majest. lib. 2. cap. 1. n. 1.* Justitiæ quoque universalis exemplum affert, de qua tritum illud:

Justitia in sese virtutes continet omnes.

Cum tamen nihil prohibeat, * virtutes illas inter sese esse separabiles, & actu etiam separari.

Interim fatendum suo modo certoque sensu Majestatem dici posse indivisibilem, saltem ens aliquod indivisum, eo scil. sensu, quo Majestas divisibilis non est in plures species, vid. Dn. D. Schweder *loco supr. alleg.* v. g. in personalem & realem, quæ distinctio multarum alias in Jure Publico errorum confusionumque genitrix rectissime à Publicistis præstantissimis damnatur ac rejicitur. Obstat enim illi Unitas Summitasque Majestatis, cum repugnet, duo sub eodem genere summa dari, unumque per alterum tolli sit necesse.

* Loquimur hic ex mente Arnisæi, cujus verba adduximus, alias sat gnari, tam arctam veræ virtutis cujusque cum altera connexionem esse, ut una ab altera divelli nequeat. Ita enim verè justus non est, qui crimine aliquo laborat, licet omnem Justitiæ laudem â mundo reportet. Nam qui in unico delinquit, totius legis reus est. Jacob. II, v. 10.

Porro in quavis Republica Majestas indivisa est, quatenus illa in toto complexu suo omnique ambitu spectatur. Ita enim omnia illa, quæ summam Majestatem constituunt, simul conjuncta non possunt nisi uni, sive reverà, sive ratione attribui. vid. Arnisæus *d. tr. libr. 1 cap. 3. n. 1.* consequenter in omni Rerumpublicarum forma unica deprehenditur Majestas, eademque multiplicare nequit. Ipsa verò Regalia licet inter plures distributa, tamen nonnisi unicam Majestatem efficiunt. Duo itaque in hoc argumento caute observanda, *Unum:* quod omnis in quavis Republica Majestas in partes suas potentiales seu subjectas dividi, & quoad has pluribus, iisque diversissimis, subjectis inesse possit. *Alterum:* quod tamen hæc ipsa Majestas sit quasi species monadica, nullas conspecies admittens quemadmodum nec duo sub communi quodam genere infinita dantur, quodque ista, qua integra & plena considerata, unica tantùm in quacunque civitate sive simplici sive mixta deprehendatur. Etenim semper illa est in subjecto quodam communi, * hoc verò æstimatione morali unum est, & per consequens nonnisi unius quoque Majestatis capax, ut ita verum sit, quod B. Dn. D. Hochstetterus ex B. Dn. Jacobi Thomasii *annot. ad Tabul. 49. annot. 226.* adducit, *etsi*, inquientis, *maximè dividantur Regalia, manent tamen ipsa nihilominus indivisa ac unita in subjecto communi, quod est tota Civitas. Sicuti tametsi faculiates quinque Sensuum maximè sint divisæ per certa corporis organa, uniuntur tamen in ipso animali, tanquam subjecto communi.* vid. Hochstetter *Colleg. Pufendorff. Exerc. XI. §. 19.* aliud ergo est dicere, Majestatem dividi posse in partes & quoad has communicari pluribus, quod verum; aliud posse eam dividi in species & qua integra est, pluribus ejusdem Reipublicæ membris inesse, quod falsum. Hoc enim posteriori sensu Majestas accepta utique unica est & semper indivisa.

II. Dum autem Majestas unica dicitur, hæc unitas non saltem in persona, sed etiam in corpore quærenda est. Vid. Ill. Dn. de Cocceji *Juris Public. prud. cap. 21. §. 2.* ut pateat, quid innuere velimus, ex superioribus notandum, omnem in omni Republica Majestatem nonnisi personalem esse. Itaque & subjectum majesta-

* Non repugnant hæc, quæ de subjecto communi dicimus iis, quæ in §. sequenti adducuntur. Idem enim subjectum Majestatis nunc commune dici potest, nunc proprium, sed diverso respectu. Quando enim integra Majestas refertur ad Majestatem aliam, tunc respectatur in subjecto proprio, quod vel Princeps est, vel Optimates, vel Populus. Quod si verò una eademque Majestas referatur ad eos, qui pro diversa Regalium divisione diversimodè de ipsa participant; tunc tota Civitas subjectum Majestatis est commune; Subjectum proprium autem sub hoc respectu est varium & multiplex, prout scilicet variant personæ, inter quas Regalia sunt distributa.

majestatis semper personale est, hoc verò juxta Grotium *in d. tr. de J. B. & P. cap. 3. §. 7.* & qui huic succenturiatur, Pufendorffium *in tr. de I. N. & G. Lib. 7. cap. 5. §. 1.* vel commune, vel proprium. Commune est Civitas, termino civitatis latè, confusè & vagè sumpto. Vid. Pufendorf. *d. l. cap. 6. §. 4.* Proprium illa ipsa persona, in quam Imperium seu Majestas consensu civium fuit translata. Jam ipsum personæ vocabulum vel physicè sumitur, vel mysticè ac moraliter. Quod si physicè sumatur, per eam tantummodo individuum quoddam ac singulare denotatur v. gr. Petrus, Paulus. Moraliter sumpta etiam plures comprehendit, qui singuli tamen æstimatione morali tantundem valent, quod persona physicè una.

Cum itaque diximus unitatem Majestatis non saltem in persona, sed etiam in corpore quærendam, ex mente Cocceji hoc volumus, Majestatem vel penes unicum, ceu personam physicè talem, vel etiam penes plures physicè tales, unam tamen personam moralem, seu, ut dicitur, mysticam efficientes, residere. Corpus enim vel totus populus est, vel populi pars. Ast totus populus æquè, ac populi pars sensu moralistarum habetur pro persona. Quibus ita observatis, facilè jam constat, quod majestatem singulis Rebuspublicis, qualicunque Regiminis forma affectis, tribuamus. Quot verò Rerumpublicarum formæ præsertim simplices, ut loqui amant, & regulares dentur, id ipsum triplex subjecti proprii, in quo majestas habitat, diversitas ostendit. Vel enim Imperium civile ex pacto civium in unum, & sic *Monarchia*, vel in paucos sed optimates devolvitur, & sic *Aristocratia*, vel denique in toto populo, saltim majori multitudinis parte remanet, & sic *Democratia* generatur. Hinc egregiè B. Dn. Titius *in Specim. Jur. Public. lib. 7. cap. 7. §. 28. Monarchia*, inquit, (*Aristocratia*) (*Democratia*) *est Civitas in qua Majestas* (*subiecto physicè Uni*) (*pluribus*) (*majori multitudinis parti*) *inhæret & ab eodem subjecto quoad omnes partes, in eosdem subditos exercetur.* conf. de tribus hisce præcipuis Rerumpublicarum formis ex veteribus Reinking *de R. S. & Eccl. lib. 1. class. 1. cap. 1. num. 12. 13.* ex recentioribus autem Pufendorffium *in d. tr. lib. 7. cap. 5. per tot.* Quamcunque jam harum formarum sumseris, in qualibet Majestatem deprehendes, hoc tamen discrimine, ut si illa in toto populo vel integro corpore existat, una sit in toto corpore, nulla in singulis: si in collegio paucorum, rursus una sit in toto collegio, nulla in optimatum singulis. Cum è contrario Princeps maneat Princeps, sive domi habitet, sive in publico conversetur. Sed plana hæc sunt, & cuivis, qui vel prima Politices fundamenta posuit, haud ignota.

III. Difficilior jam, imò difficillima materia est, si non tam in genere de Rerumpublicarum formis, quam in specie de præsenti Reipublicæ nostræ Romano-Germanicæ statu, ac habitu formali quæstio instituatur. Sunt quidem, quibus

bus mera curiositas videtur * brevibus terminis technicis universam compagem sive structuram & faciem totius Status Imperii, per tot membra diffusi, ante oculos repræsentare. Vid. Dn. Brunnemann, *Examen. Jur. Public. lib. 6. cap. 3. qu. 12.* Attamen negari nequit, hanc de Forma Imperii nostri Germanici disquisitionem, ut illa sua non caret difficultate, ita nec utilitate omni destitui.

Nam vis Legum Germanicarum juriumque hinc dependentium natura solidius intelligitur, si cum principiis generalibus conferantur, cum è contrario leges & jura publica sine respectu ad hanc normam considerantibus, rei imago ac externa species facile imponat. Non immeritò igitur disquisitionem de forma Imperii Germanici quæstionem Juris publici capitalem dixit Bœclerus teste Kulpisio *ad Monzamb. cap. 6. §. 3.* qui & ipse in eadem universum Juris Publici argumentum velut in centro confluere contendit *d. c. 6. §. 1.* conf. B. Dn. Titius *in dissert. de forma totius Reipublic. German.* Nec mirum etiam, tot & tam diversas, sæpè etiam monstrosas, de Forma Imperii Germanici opiniones enatas esse. Vexavit quippe non uno ab hinc seculo hoc argumentum Viros & in Aulis & in Academiis summos, nescientibus plerisque, ubi in lubricitate ista pedem figerent, vel unde ex tot sententiarum turbine se reciperent, isto semel immersi ac ingurgitati.

Etenim sunt, qui Formam Reipublicæ Germanicæ *Monarchicam* & hanc alii absolutam, alii limitatam, ut Reinking. Wizendorffius, Schüzius, Stammlerus, Schoockius, per Illustris. Baro de Lyncker &c. Sunt, qui *Aristocraticam*, quos inter Bodinus & personatus Hippolitus à lapide, qui posterior subinde tamen temperamentum aliquod in modo administrandi monarchicum agnoscit. Sunt qui ex hac utraque *Mixtam*, uti B. Dn. de Kulpis & ante eum Strauchius, Bœclerus, Arumæus, Carpzovius, &c. quorum omnium non una tamen mens fuit, *alius* in mixtura ista Aristocratiam, ut Limnæus, *alius*, queis Dn.

* Elegans & acutum est Bened. Carpzovii judicium, quod tulit circa litigia Ddum de Statu Imperii nostri hodierno *in tr. de Capit. Cæs. seu Lege Reg. Germ. cap. 13. statim ab init. Hanc litem*, scribens, *facilimè & felicitèr componere possent ii, qui rerum Imperii diutino usu peritiam acquisiverunt. In pulvere siquidem Scholastico multa sæpe de Potestate Principum & statu Regnorum tanquam de ideis Platonicis variè disseruntur, quæ si ad usum communem exigantur, videtur in somnis fuisse laboratum: Idem contigit illis, qui vel minis Maiestati Principum adulantur, vel nimis eandem arrodunt.* Scilicet B. Carpzovius ipsam argumenti hujus tractationem haud rejicit, sed id solummodo optat, ut quos usus & experientia aliis perspicaciores reddidit, calamum hic stringerent manusque operi admoverent.

Dn. D. Schwederus noster adstipulatur, Monarchiam prævalere asserentibus. Sunt porro, qui nec simplicem, nec mixtam, sed *irregularem* & saltem non *Monstrosam* ut Sev. de Monzambano, seu, si larvam detrahas, Lib. B. de Pufend. Sunt qui *Systematicum*, sed modo extraordinario confœderatam, ut Titius, &c. Sunt denique qui planè *Morbitam* faciunt. Ut Ill. Dn. Thomasius. Horum omnium ac singulorum rationes atque argumenta jam excutere equidem nimis longum foret, neque etiam præsenti instituto nostro accommodum. Ut enim fateamur, cuivis facile constare, unum ex his modo allegatis multo longius altero à veritatis scopo aberasse; paucissimosque à se impetrasse, quin affectibus & partium, à quibus dependebant, studio litarent: nec id tamen etiam diffitebimur, nos tantum nobis sumere nec velle, nec audere, ut in resolvenda & exenteranda difficillima hac quæstione (aliis qui integris tractatibus præsenti argumento lucem affundere studuerunt, velut B. Dn. de Pufendorff. non tantum *in Monzambano suo* sed & *in peculiari Disquisitione de Republica irregulari.* cui jungimus varios ejus Adversarios à celeberrimo Dn. D. Struve *in Bibliotheca Juris select. cap. 14. §. 40. & 46.* recensitos) nos acutiores arbitremur. Neu tamen nihil dixisse videamur, breviter id annotamus, eorum utique sententiam, qui Rempublicam Germanorum pro Systemate Civitatum plurium modo extraordinario confœderatarum, habent, dignam esse, quam prudentiores paulo altius meditentur. * Deinde & id pro certo habemus, communes

* Est hæc sententia sæpius jam laud. B. Dn. Titii. Ratio ejus palmaria profecto haud contemnenda in eo stat, quod scil. Imperium Romnno-Germ. pro una Republ. uno Imperio civili animatâ, haberi non possit. *In Republica enim*, inquit, *una, qualiscunque illa alias sit, requiritur, ut tota Majestas uni Subjecto inhæreat, ab eoque per veram potestatum subordinationem, in eundem populum, quoad omnes partes, exerceatur, qualem Reipublicæ habitum, cum libertate Territoriorum germanicorum, jurisque Territorialis independentia, legibus fundamentalibus probata, ac a nobis antea satis demonstrata, nunquam aliquis conciliaverit, utut verbis speciosis, at inanibus, fucum hic fieri posse, non negemus. vid.* ejus *dissert. de Forma totius Reipubl. Germ. § 81. & §. 83.* in quo posteriori, cum illustris. Dn. Lynckeri & Bœcleri rationes attulisset *hoc ergo*, pergit, *probandum erat, quod per unum idemque Imperium civile, omnia in Germania expediantur, quod non temere fiet. Si singuli status, in suis Territoriis leges condunt, milites conscribunt, tributa imponunt, sacra ordinant, legatos mittunt, fœdera ineunt, ac plura alia, jure proprio & libero, faciunt, ubinam est principium aliquod commune, ex quo illa omnia profluant? hoc sane non, nisi per calumniam ostendi potest.*

illos Aristotelis & sequacium conceptus de Rerumpublicarum formis valde inadæquatos esse, neque singulas, occurrere possunt civitatum structuras ex iis, tanquam ex regula indubitata, mensurari posse.

IV. Jam & dispiciamus oportet, de fundamento, cui omnis illa de formis controversia innititur. Videlicet est illud Majestatis, seu potius jurium Majestatis, diversa atque inæqualis inter Cæsarem & Status dispensatio. Ex eo enim, quod Majestatis inter Cæsarem & Status est divisa, quodque inæqualis inter eos de ista participandi modus existit, Dubus occasio subnata est de Forma Reipublicæ Germanicæ tam variè disceptandi. At benè cum quæstione hac agitur, ubi illa per Auream Bullam, per tot Capitulationes, per Recessus Imperii, per publicas Pacificationes, per quotidianam denique Experientiam est expedita. Nimirum solem negaret in meridie, qui in Imperio nostro Germanico jura Majestatica negaret distributa. Refragaretur ei, ut diximus, experientia, obstarent tabulæ Legis publicæ, contradicerent celeberrimorum JCtorum demonstrationes solidissimæ, quin fumos venderet quicunque contrarium asserere conaretur. Ad rem ipsam verò quod attinet jam antea audivimus in omni Republ. Majestatem certo cuidam subjecto proprio inesse. Quod si igitur de subjecto proprio Majestatis, quæ est in Imperio Germanico, quæratur, ad faciliorem rei elucidationem id tenendum: Rempubl. nostram Romano-Germanicam considerari posse vel qua compagem suam integram & systema Civitatum suarum, ex quibus constat, universum: vel qua singularia, quæ singuli Status occupant, Territoria. Sub priori respectu gaudet Germania regimine communi per Imperatorem & Status exercendo, ut ita Majestas Reipublicæ Germanicæ Imperatori Statibusque tanquam subjecto proprio insit. Modus verò, quo Imperator & Status in exercitio communis hujus Majestatis concurrunt, ita habet, ut aliquam eamque eminenter Majestaticam Jurisdictionem Imperator solus vi Reservatorum, aliquam Imperator cum Electoribus, reliquam denique Imperator cum singulis Statibus conjunctim, nullam verò ullus Statuum sine concursu Imperatoris exerceat.

Aliter res comparata est, si jam territoria in Imperio singularia intueamur. Tunc enim singuli Status singulis gaudent juribus, quæ universa uno Superioritatis Territorialis nomine comprehenduntur. Prout verò hi Status iterum inter se diversi sunt ordinis, potentiæ atque dignitatis, dum Electores alii, alii Principes & utrique vel Seculares vel Ecclesiastici, alii Comites, Barones, &c. alii Civitates Imperiales: ita & diversis iterum Regendi formis utuntur, alii Monarchica, alii Aristocratica, rursus Democratica alii; alii verò etiam forma ex hisce mixta, ipsaque Majestas sive Superioritas Territorialis. Iis vel in persona tribuitur, ut Electoribus Principibusque; vel in corpore, ut Civitatibus, quas vocant

cant Imperialibus. In hoc autem laxius inquirere, nostrum in præsens non est. Properemus igitur ad.

CAP. IV.

De

Variis Regalium Divisionibus ac speciebus in genere.

SUMMARIA.

§. 1. & 2. Transitus ad divisionem. §. 3. Divisio Regalium in Majora & Minora. §. 4. in Reservata & Communicata. §. 5. in Regalia Æquiparantia & Disquiparantia. §. 6. in Immanentia & Transeuntia. §. 7. examinatur Divisio tertia. §. 8. examinatur divisio secunda. §. 9. imprimis excutitur trita illa in Regalia Majora & Minora. §. 10. quæritur melior & accuratior divisio. §. 11. hæc autem est in Regalia Immanentia & Transeuntia. §. 12. Subdivisio Regalia Immanentium in Secularia & Ecclesiastica, ac Transeuntium in Pacifica & Bellica.

§. 1.

NImirum postquam Regalia à nobis utcunque descripta sunt atque definita: postquam etiam in fontem ipsorum, Majestatem, introspeximus, insimulque varius Rerumpublicarum formas, quas diversa Majestatem habendi ratio gignit, expendimus; tandem & eadem occasione nonnihil de Imperii nostri Romano Germanici structura, ut & Majestatis Germanicæ subjecto, disseruimus: nunc ordo postulat, ut ipsam quoque Regalium divisionem exhibeamus diversasque earundem species breviter enumeremus.

II. Solent autem Regalia à variis variè dispesci. Nos, ut eo distinctius procedamus, primò communem istorum divisionem recensebimus. Postea verò, quomodo commodius illa tum in genere, tum in specie, intuitu Germaniæ nostræ, nobis dividenda videantur, ostendemus.

III. Communiter ergo Regalia dividuntur in *Majora* seu *Majestatis* & *Minora* seu *Fisci*, sive, quod eodem redit: Regalia sunt vel *primi* vel *secundi ordinis*, vel *principalia* vel *subsidiaria*, itemque vel *personalia* vel *fiscalia*.

Prioris generis, sive (1.) *Majora* Regalia dicuntur jura, in quibus potissimum summa Principis potestas, dignitas & præeminentia Regnique utilitas relucet, absque tamen pecuniario interesse. Vid. Bocer. *de Regalibus cap. 2. num. 3. seq.* Ludolph Hugo definit, quod sint *jura Regia, quæ in universa Reipublica administratione consistunt.* Vid. ejus *tr. de Statu Region. German. cap. 3. §. 2.* quem exhibet Ahasv. Fritsch. *inter Exercit. Jur. Public. part. 3. exerc. 1.* Dn. à Cocceji *Majora* & principalia illa vocat, quæ in ipsa potestate tuendi jura & Rempubl. consistunt *in Juris Public. Prud. cap. 21. §. 5.* Zieglero autem & Dn. Schwedero nostro *Majora* illa vocantur, *quæ gubernationem ipsumque Reipublicæ statum concernunt,*

cernunt, vid. ille *de Jur. Majestat. Lib. 1. cap. 3. §. 28.* hic verò *in introduct. Jus. Publ. part. spec. sect. 1. cap. 4 §. 3.* Referuntur inter illa potestas Legislatoria, jus Magistratus constituendi, jus circa Sacra, Jus Belli, Pacis, Legationum, ferendi Leges, restituendæ famæ, creandi Notarios, cudendæ monetæ, indeque dependens jus ordinandi Zygostatas sive Wardinos &c. de quibus singulis vid. ab Hagen *in Instit. Jurispr. Public. lib. 3. cap. 4.* & Magnif. Dn. Rector noster Majerus *in Commentar. jur. feud. cap. 12. per tot.* & de his potissimum elogia ista *cap. 1. §. 4.* jam adducta, aliqua complura, qualia: quod Jura sint potentiora, ossibus Principis cohærentia, ipsi coronæ annexa atque personalia, prædicari posse autumat B. Dn. Hert. *Elem. Prud. Civ. part. 1. sect. 6. th. 17.* quique eum sequitur. B. Dn. Ockel *in tract. de præscript. immem. præsertim rer. Doman. & Regal. Principum cap. 5. th. 3.*

Minora seu *Fisci Regalia* verò ipsis sunt jura, quæ unicè ad conservandum & augendum Fiscum respiciunt, inque reditu imprimis ac fructu atque sic in mediis & subsidiis saltem ad Reipublicæ tuitionem pertinentibus, consistunt. Vid. Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 3. num. 1.* Bocer. *d. tr. cap. 3. num. 6.* nec non Dn. de Cocceji *loco supra alleg.* B. Zieglerus & Dn. D. Schwederus noster definiunt, quod sint *commoda & emolumenta, quæ ex bonis publicis, vel aliàs ratione Imperii ab eo, qui summum in Republica habet Imperium percipiuntur* vid. *locc. supr. citt.* Vocantur vulgò **die Kayserliche Güter und Cammergefäll.** item: **Die nutzbare** Regalien, eademque *duplicis* creduntur esse *generis*, *alia* quæ tuitionem & conservationem Reipublicæ pro objecto habent, ut jus vectigalium, tributorum, fluminum, metallifodinarum, viarum publicarum &c. *alia*, quæ commodis privatis, seu recreationi ac voluptati Principis inserviunt, nec hæc posteriora alio in sensu Regalia dici possunt, quam quia non privatis, sed Principi competunt, etsi non officio principali. Dn. de Cocceji *d. cap. 21. §. 5.*

IV. (2.) In *Reservata & Communicata*. *Illa*, quæ & incommunicabilia aliis, sed malè ita, audiunt, sunt jura, quibus pars quæpiam in Civitate tàm mixta, ubi scilicet modus administrandi alius est ab ipsa forma, quam simplici, sola gaudet, nec in consortium partes reliquas admittit. In Imperio nostro vulgò dicuntur jura Majestatis Cæsareæ v. g. jus creandi novos Principes, Comites, iisque locum assignandi in comitiis, cognoscendi in causis Illustrium, super feudis Regalibus &c.

Communicata verò dicuntur, quæ in Civitate mixtâ una pars sine præscitu reliquarum exercere nequit. Huc pertinent negotia quæ Imperator vel cum solis Electoribus, vel cum omnibus Statibus communia habet. Illa sunt negotia Cæsareo-Electoralia, hæc jura, quæ dicuntur Comitialia. Sic Imperatori quidem jus istud creandi Principes & comites integrum manet, si tamen ad vo-

tum

tum & sessionem in Comitiis adoptari velint Princeps vel Comes, necesse est, ut Electorem & Collegii, in quod recipi volunt, consensus adhibeatur. Vid. *Capit.* Invictissimi nostri Caroli VI. *art. 22.*

V. (3.) In *Regalia Æquiparantiæ & Disquiparantiæ.* Utitur hâc distinctione. B. Dn. Zieglerus in sæpius *cit. tr. de jur. Maj. lib. 1. cap. 3. §. 26. 27.* *Illa* dicit esse, quæ respectum Majestatis ad Majestatem inferunt, adeoque inter Imperantes ipsos tanquàm pares versantur: Talia sunt jus belli & pacis, Jus fœderis sanciendi, jus Legatorum mittendorum & similia. Necesse autem est ejusmodi jura dari, eo quod nulli Reipublicæ tàm felici esse accidit, ut ipsa vel sola secum contenta, vel ab aliis semper sat secura esse possit. Quare opus habet, ut jura illi suppetant, quorum vi cum aliis contrahere & incommoda quævis externa quoque amoliri valeat.

Regalia *Disquiparantiæ* sunt, quæ Majestati competunt in respectu ad subditos, tanquàm impares & quæ limites Imperii haud egrediuntur. Qualia sunt Jus vectigalium, Magistratuum creandorum, Jus puniendi, mulctarum, &c.

VI. (4.) In *Immanentia & Transeuntia.* *Hæc* negotia cum exteris concernunt. *Illa* iterum intra limites Reipublicæ continentur, nec nisi ad subditos respectum aliquem important.

VII. Sunt hæ, quas attulimus, communiores ac in vulgus notæ Regalium Divisiones. Nos quemadmodum omnes & singulos, ultimum imprimis non repudiamus; Ita non omnes tamen (id quod præficini dixerimus) æque adprobandas esse arbitramur. Ut enim *à tertia* incipiamus, eam vel ideo superfluam censemus, quia cum quarta reapse coincidit, nec ab ista distinguitur, nisi diverso accidentium, quæ objectum afficiunt, respectu. Utraque enim ab objecto personali, quod sunt vel subditi vel exteri, desumta est, per id verò una ab altera discernitur, quod diviso in Regalia *Æquiparantiæ & Disquiparantiæ* exteros subditosque sub ratione virium vel æqualium vel inæqualium, illa verò *in Immanentia & Transeuntia* istos sub ratione loci & ubi respiciat.

VIII. Quod *ad secundam divisionem* attinet, illa vel ideò quia à modo habendi & participandi Majestatem nunc solitario, nunc cum aliis communi ascita est, inter principaliores Regalium distinctiones, locum invenire nequit, siquidem nobilissimæ rerum divisiones ab objecto potius, quàm modo repetendæ videntur. Et quanquàm dici posset, cum modo hoc Majestatis participativo etiam ipsum subjectum Majestatis, quod Rempublicam vel seorsim atque indivisim, vel divisim atque cum aliis conjunctim tenet, complicari & includi; re tamen penitius inspecta, patescit, modi magis, quàm subjecti rationem in divisione ista haberi. Ut taceamus, in quæstione, quomodo Regalia in genere dividantur? Primario non

quæri, quis & quomodo ea teneat, sed qualia & quotuplicia ista in se sint, id quod non aliunde melius quam ab objectis principalibus addisci potest.

IX. Restat antiqua illa eaque decantatissima Regalium *in Majora & Minora* distinctio. Patrocinatur huic & vetustas, & communis ferè omnium adprobatio. At verò si glaucomate detracto oculatius rem intueamur, certè nec utilis ista est, nec accurata. Neque proinde mirum, eam à recentiorum plurimis ex. gr. Textore *in tr. de Jure Publico Cæsar. Tit. 9. num. 8.* Illustr. Dn. Thomasio *in notis ad Huberum de Jure Civit. Lib. 1. sect. 3. cap. 5. not. X.* Titio im teutschen Lehen-Recht. *cap. 8. §. 18.* aliisque rejici & exsibilari. Utique pulverem ista olet scholasticum & nonnisi litibus vanissimis ansam præbet, propterea quod sæpissimè non constat sub quonam censu hoc vel illud Regale venire debeat. Deinde deprehenduntur quædam ex minoribus Regalia, quæ, dùm commodis suis maxima sæpiùs onera conjuncta habent, hinc incommoda magis quàm emolumenta Fisci dixeris. Porrò singula Regalia qualiacunque etiam illa sint, Fiscum suo modo adaugent, si non primariò & directè, saltem secundariò & per indirectum. In exemplum esto vulgare istud hodieque abjectum ferè Notariorum genus, quod vix ac ne vix quidem sine certi pretii exsolutione creatur, ne dicam quid de aliis dignitatibus, quæ immediatis æque ac mediatis nonnisi prævia prænumeratione certæ alicujus summæ conferuntur. Uti hoc abundè patet ex *Taxâ Dignitatum Imperii*, quam *Appendicis loco Examini suo Jur. feud.* subjecit B. Dn. Stryck. *sub. n. V.* manifesto, arbitror, indicio, quàm malè Regalia in majora & minora seu alio nomine in Majestatis & Fisci dividantur. Tùm & id observandum olim ex non paucorum sententia inter Regalia majora quid relatum fuisse, quod jam indistinctè patet commercio privatorum; Sic olim jus fabricandi arma penes solos Imperatores residebat, quod tamen hodiè in peculiare jàm abivit opificium, nec quicquam cum Regalibus commune habet. Ulterius dictum modo jus creandi Natarios, Poëtas laureatos, & id generis alias dignitates minutas conferendi, vulgò locum suum reperit inter Regalia majora; contra jura quæ nervum rerum gerendarum subministrant, atque sic omne momentum in Republica absolvunt exiguis saltem ac minoribus Regalibus accensentur, veluti jus collectandi, vectigalium, metallifodinarum, fluminum navigabilium indeque dependentium jurium &c. quod sanè ridiculum. Adde quod multis in locis jura quædam referentur inter Regalia majora, quæ alibi vel minoribus saltem vel Regalibus plane non adnumerantur. v. g. jus praxandi, cauponandi, jus habendi molendina præsertim bannalia, jus vendendi chartas lusorias, calendaria, tabacum &c. quæ aliquibus in locis soli Principes sibi vindicant, in plurimis aliis provinciis verò privatis pro lubitu exercenda relinquuntur. Illud etiam accedit, quod nec ipsi Dd. de hoc Regalium divi-

divisione sibi satis constent; Eorum enim alii, soli Imperatori Regalia attribuunt Majora, tanquam verè Majestatica, Statibus verò solummodo minora, atque sic hos eo ipso à juribus Majestaticis penitus excludunt, non considerantes, quod hi ut plurimùm in provinciis suis illimitatam prorsus atque sic Majestaticæ haud absimilem exerceant potestatem. Itane verò Regalia minora non erunt jura Majestatis verè talia? anne magis & minus mutabit speciem? vid. Textor. *loco supr. cit.*

Alii, cum ipsis animadverteretur hoc modo opinionis suæ fundamentum malè cohærere, ab uno errore in alium prolapsi, tertiam insuper addidere divisionem *Regalium* putà *Minimorum*, quæ penes reliquos cives sive immediatos sive mediatos in Germania nostra resideant, nobis verò aliàs privilegiorum nomine insigniri solent. Solidum igitur atque veritati longè convenientissimum judicium est, quod Illustr. Dn. Thomasius *loco jam alleg.* de hoc argumento tulit. *Re penitus inspecta*, inquiens, *diviso hæc in systemate artis nullum habet usum. Nam est obscura i. e. non adsunt perspicui limites & termini, quibus separari possint utraque. Unde Dd. sæpe dissentiunt partim in definitione, partim in applicatione & recensione specierum. Deinde nullum habet usum in definiendis controversiis aut doctrinæ praxi. Nam qui vulgariter affertur usus duplex, quod majora nec possint, alienari à principe, nec præscribi contra Principem, minora possint, etiam erroneus est. Id quod magis perspicuum fiet, si ejus ortum spectes, qui debetur Interpretibus Juris feud. Longobardici. scilicet recensentur 2. F. 56. sub rubrica: Quæ sint Regalia, &c. Variæ Regaliorum species, quæ solent cohærere feudis Regalibus. Cum verò ibi non deprehendantur Regalia Legum ferendarum, belli ac pacis & similia, Feudista, ut rationem darent, cur ea ibi sint omissa, invenerunt distinctionem inter majora & minora. ac minora dixerunt, quæ continentur in dicto capitulo, majora quæ non continentur, &c.*

X. Cum itaque nulla superius recensitarum Divisionum nobis satisfaciat, superest, ut, quæ melior reliquis videtur, sententiam promamus. Ante omnia verò prænotamus, *duo* nobis juxta §. 2. præstanda esse, *primo* ut Regalia Majestatis in genere, *secundo* ut eadem prout ex Majestate in applicatione ad Imperium nostrum Germanicum spectata fluunt, in certas classes distinguamus.

XI. In genere spectata Regalia varias utique & tantum non infinitas divisiones admittunt à fine, objectis, subjectis, modis, adjunctis, &c. desumendas. At verò nos in præsens non tam de numero, quam præstantia divisionum soliciti sumus. Illa autem præstantissima videtur divisio, quæ uti supra jam innuimus §. 8. ab objectis petitur primariis. Hinc jam ex definitione Regalium superius data *cap. 2. §. 2.* liquet, Regalia in genere ad *Imperium*, *Dominium* & *Regimen* revocari posse. conf. Clarissimus Theologus Dn. D. Joann. Francis.

Buddeus

Buddeus *in Elem. Philosoph. pract. p. 2. cap. 4. sect. 13. § 18.* Sed cum hæc distinctio, quanquam generalissima, tamen aliquid obscuritatis habeat, & propterea quod trimembris est, subdivisiones nimium accumulet; Itaque aliam adoptabimus æquè universalissimam, eamque bimembrem, tum ab objectis principalibus subditis & exteris, tum à finibus civitatum primariis, qui interna & externa ejus felicitate absolvuntur, petitam. Scilicet, quicquid juris ab Imperante exercetur, id vel intra Rempublicam manet, subditosque ferit, vel extra eam transit & in exteris terminatur. Emergit hinc divisio maximè principalis, superius jam ex aliorum, imprimis recentiorum mente adducta, & cum illa, in jura æquiparantiæ ac disquiparantiæ, coincidere dicta, nobis autem jam approbanda, quando Regalia dispescuntur in Jura vel *Immanentia* vel *Transeuntia.*

XII. Regalia *Immanentia* autem, dum sese exerunt vel circa res politicas sive profanas, vel circa res Ecclesiasticas sive sacras, hinc ab objecto suo rursus subdividi debent in *Secularia* & *Ecclesiastica.* Numerus omnium atque singulorum Regalium non quidem est infinitus, est tamen indefinitus, quare rotundum numerum ponere velle frustraneus labor est Chassanæi, qui ducenta & octo, & Sixtini, qui quadringenta & tredecim referunt testibus Carpzoviis *de Regalib. cap. 1. aph. 10.* Nostrum itaque erit potiores saltem & quæ vel primæ nobis in memoriam recurrent, Regalium species enarrare.

XIII. Sic ad Regalia *Secularia* haud dubiè pertinet Jus exigendi homagium, potestas Leges ferendi illasque interpretandi, Jus Mandata, Edicta, Rescripta edendi illaque affigendi, Jus dispensandi, Jus aggratiandi, Jus restituendæ famæ, Jus concedendi veniam ætatis, Jus legitimandi, Jus disponendi circa matrimonialia Civium, Jus compellendi subditos ad munera publica, Jus ordinandi Politiam, constituendi Magistratus, Jus monetandi, Jus collectandi, accisia imponendi, Jus creandi Notarios, Magistros, Doctores, Nobiles &c. Jus indulgendi privilegia, Protectoria, Moratoria seu literas quinquennales, Jus erigendi Academias, Gymnasia &c. Jus censendi & confiscandi libros, Jus dandæ Civitatis, Jus instituendi nundinas publicas, Jus interdicendi vel ordinandi monopolia, Jus commerciorum, Jus disponendi circa pondera & mensuras, Jus constituendi pretia rerum, Jus ordinandi & confirmandi Universitates, collegia, tribus opificum, aliasve societates, Jus avocandi Subditos, Jus recipiendi peregrinos, Judæos, atque alios infideles, Jus relaxandi à Juramento, Jus puniendi, Jus proscribendi sive declarandi aliquem in bannum, Jus constituendi Asyla, Jus tribuendi Salvum conductum, Jus affigendi salvas Guardias, Jus sanctificandi Residentias aliave loca publica, Jus Archivi, Jus viarum publicarum, Jus conducendi, Jus ponendi insigna in locis & itineribus publicis, Jus erigendi cippos vectigales, Jus persequendi & indagandi, Jus postarum,

ſtarum, Jus diſponendi circa novellas, Jus comitiorum publicorum & diætarum provincialium, Jus ultimæ cognitionis & extremæ provocationis, Jus recipiendi appellationes, Jus ordinandi proceſſus, inſtituendi viſitationes Dicaſteriorum, largiendi Reviſiones ſententiarum, reſtituendi contra lapſum fatalium, Jus Dominii ſupereminentis, Jus vindicandi theſauros, bona damnatorum, agros derelictos, novalia aliaque bona vocantia & ereptitia, Jus detractus, Jus decimandi aut triceſimandi, Jus Domaniorum, Jus palatiorum, Jus foreſti, venandi, aucupandi, boſcandi ſive lignandi, Jus fluminum navigabilium, portuum, riparum, indeque dependentia Jura legendi ſuccinum, arenam auriferam ſive aurum fluviaticum, margaritas, Jus piſcandi, Jus molendinorum, retium, pontium, pontonum ſeu trajectus, Jus telonii ſeu vectigalium, Jus Stapulæ, Geranii, Gruriæ, &c. Jus fodinarum non ſaltem auri, argenni ſtanni, cupri, &c. ſed & ſalis, nitri, aluminis, ſulphuris, vitrioli, auripigmenti, cinabaris aliorumque mineralium & foſſilium. Adde jus Armandiæ, Jus dandi obſides, Jus ſequelæ, Jus præſidii, aperturæ, &c. Jus extruendi munimenta, Jus conſcribendi milites, Jus delectus, luſtrationis, metatorum ſive Inquartandi, &c.

XIV. Ad *Eccleſiaſtica* verò Regalia referimus, Jus novam introducendi religionem, Jus tolerandi alterius religioni addictos, Jus componendi controverſias Eccleſiaſticas ipſaſque Religiones uniendi, Jus diſponendi de bonis Eccleſiaſticis, Jus conſtituendi Conſiſtoria eaque diſſolvendi, Jus vocandi & ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, Jus diſponendi circa adiaphora & cultum externum, Jus indicendi ferias ſacras & profanas, Jus ordinandi calendaria, Jus cognoſcendi in cauſis Eccleſiaſticis, Jus convocandi Concilia, Synodos, Jus viſitandi Eccleſias & Parochias, Jus protegendi defendendique Religionem & in ſpecie ſecundum Jus Canonicum atque in illis, ubi iſtud viget, Regnis, præſertim in *Imperio noſtro*, Jus primariarum precum, Jus Patronatus, Annatarum, Deportus &c. *

* Regalia Eccleſiaſtica, hactenus recenſita, omnia, & ſi quæ dantur alia à Statibus Evangelicæ aut Reformatæ Religioni addictis, juſto titulo, exercentur, idque non demum ex indultu Inſtrum. Pacis Weſtphal. ſed vi ipſius Jurisdictionis Territorialis. *vid. infr.* §. 23. Quod ſi verò accidat, ut hi Status Cœnobia, Eccleſias Cathedrales aut Collegia ejuſmodi Eccleſiaſtica Jurisdictioni ſuæ ſubjecta teneant, tum eadem hæc Jura in iſta iis competunt, quæ alias Imperator & Papa conjunctim habent. Competunt verò ex moderna conſuetudine non ſaltem Principibus viris, ſed & in capitulis fœmininis eorum conjugibus, quale jus eſt primariarum precum, quod ſibi expreſ-

XV. Ad *Transeuntia* & quidem ad *Pacifica* recenseri debent, jus mittendi Legatos cujuscunque ordinis, jus contrahendi fœdera, Neutralitatem, concedendi inducias, pangendi Pacem, jus Guarandiæ, Protectionis, Advocatiæ &c. ad *Bellica* vero jus ineundi bellum tum offensivum, tum defensivum, jus belligerantibus adsistendi, Jus recipiendi obsides, Jus Repressaliarum. &c. *

CAP. V.

De

Regalibus Imperii Romano Germanici in specie.

SUMMARIA.

§. 1. Transitio. §. 2. repetitur ex superioribus duplex Regalium ad Imperium & Territoria Principum respectus. §. 3. emergit hinc divisio primaria in

expressè vindicandum curavit Electrix Brandenburgica, teste Schiltero *in addit. ad lib. 6. cap. 5. §. 11. tr. sui de libert. Eccles. Germ.* & B. Dn. Sam. Stryk. *in disp. de Jure Papali Principum Evangel. cap. 4. §. 3. sqq.* & in specie de Jure Annatarum Principibus etiam Protestantibus competente. vid. Eund. *d. cap. 4. §. 7. sqq.*

* Sunt hæc si non omnia, attamen potissima Majestatis jura, breviter & summatim à nobis recensenda. Quemadmodum verò ista precisè sunt Regalia in genere spectata, adeoque cuivis Reipublicæ in universo, qua patet, mundo competentia: ita tamen eorum alia sunt *absoluta*, ex natura Reipublicæ cujusvis necessariò resultantia; alia *hypothetica*, pro diversitate Regnorum eorumque situs, proventuum, roboris, &c. certis suppositionibus & rationi Status innixa. Per quod ipsum verò generalitas Regalium non tollitur. Posita enim conditione, positis certis Regionum proventibus, reditibus, &c. Ponitur etiam generalitas competentiæ, nulla planè in toto orbe Republica exclusa. Cœterùm differri nolumus, in enumerando nonnunquam nos inter immanentia retulisse, quæ cui ad transeuntia pertinere videri possent, qualia sunt jus dandi obsides, tribuendi salvas Guardias, &c. Verùm cum illa ipsa pro diverso considerandi modo & immanentia sint & transeuntia, partim cum civibus, partim cum exteris connexa: noluimus nimis anxii esse in re tantilla, sicut nec ordinis & nexus quo se invicem contingunt, naturalis, superstitiosam admodum habuimus rationem. Quod si cui tandem videantur aliqua nomen Regalium planè non mereri, sciat is, nos ideo isthæc in Regalium numerum compegisse, quia, etsi hic ibi actu talia non sint, nec pro Regalibus verè talibus reputentur, possunt tamen pro multiplici circumstantiarum concursu talia fieri, istaque dignitate pro lubitu Imperantis convestiri.

Imperialia & Territorialia. §. 4. Imperialia rursus vel Cæsarea sunt, vel Cæsareo-Electoralia, vel tandem Comitialia. §. 5. applicantur his omnibus distinctiones in Immanentia & Transeuntia, Politica & Ecclesiastica. §. 6. Imperialia quomodo sustineant locum generis. §. 7. recensentur Regalia Comitialia. §. 8. secunda classis continet Regalia Cæsareo Electoralia. §. 9. Tertia classis exhibet Regalia Cæsarea. §. 10. 11. de voce & nota characteristica Reservatorum. §. 12. 13. de incerto Reservatorum numero. §. 14. adducitur cautela hic probè observanda. §. 15. mentio fit Reservatorum hodie abolitorum, qualia: Jus metallifodinarum. §. 16. jus concedendi privilegium monetandi. §. 17. jus declarandi Statum aliquem in bannum. §. 18. transitur ad enumerationem Reservatorum Cæsaris juxta ductum Dn. D. Schwederi. §. 19. primo loco stant Reservata Ecclesiastica. §. 20. sequuntur Sæcularia. §. 21. notamina quædam subjunguntur. §. 22. fit progressus ad Regalia Territorialia. § 23 exhibetur eorum definitio. §. 24. dividuntur hæc rursus in Immanentia & Transeuntia, utraque in Ecclesiastica & Politica. §. 25. de Regalibus seu potius privilegiis privatorum.

§. I.

SUperest ut ad liberandum nomen & ad exsolvenda promissa *cap. IV. §. 10.* data paucis etiam tangamus Regalia, quæ ex Majestate in applicatione ad Imperium nostrum Romano-Germanicum spectatâ fluunt, adeoque Regalia in Imperio nostro modo peculiari sese exerentia.

II. Hoc facturi ex superioribus reperimus, utique Reipublicæ nostræ Germanicæ peculiarem prorsus ab aliis formam esse atque hinc Imperium Romano-Germanicum juxta §. 2. & 10. *d. cap. IV.* dupliciter spectari debere, *primo* qua compagem integram & systema suum universale, *secundo* qua singularia singulorum Statuum Territoria.

III. Quibus ita præmissis *prima* jam omniumque generalissima Regalium Romano Germanici Imperii *divisio* hæc emergit, quod alia quidem sint *Imperialia* vel *universalia* totum quippe integrumque Imperium concernentia, alia *Territorialia* vel *particularia*, ut pote ad particularem quandam Regionem adstricta. Utriusque generis Regalia tam *Imperialia*, quam *Territorialia*, pro diverso contemplandi modo in diversas iterum species abeunt.

IV. Et *Imperialia* quidem prout exercitium ipsorum vel soli Cæsari relictum, vel solis Electoribus cum Cæsare commune, vel denique ad Cæsaream Majestatem omnesque & singulos Status conjunctim alligatum est, diversa sortiuntur nomina; nam primi generis dici possent *Cæsarea* secundi *Cæsarea Electoralia*, tertii *Comitialia*, terminis his ad rem substratam peculiariter accommodandis.

V. Singula hæc rursus vel *Immanentia* sunt, vel *Transeuntia*; hæc bina verò

pro diversitate objectorum, quibus occupantur, vel *Politica* vel *Ecclesiastica* *

VI. Itaque accuratè loquendo Regalia Imperialia sustinent locum generis, tria ista *Cæsarea*, *Cæsareo-Electoralia* & *Comitialia* tanquam species sub se continentis. Quod si tamen Imperialia universim spectentur, pertinent ad illa non saltem omnia ferè *capite superiori* recensita jura, sed & si quæ alia deprehenduntur, eo excellentiora, quo majori eminentiæ splendoris gradu sacratissima nostra Respublica Romano-Germanica cætera Imperia & Regna omnia antecellit. Quæ ipsa tamen assertio non eo usque extendenda, ac si cum Vultejo *lib. 1. de Feud. cap. 5. num. 6.* & aliis Doctoribus arbitraremur, præter Cæsarem & Status Imperii, reliquos Reges Principesque omnes saltim invasores esse, injustosque potentiæ ac Majestatis suæ usurpatores, suo propterea merito notatis atque castigatis à Dn. D. Schwedero nostro *in Introd. part. spec. sect. 1. cap. 4. §. 9.* Sed ut dictum, singula hæc jura ad totum Imperium pertinentia quoad exercitium variè inter Imperatorem & Status sunt divisa. Quod si ergo de singulis partitionum classibus sigillatim aliquid disserendum, auspicabimur ab *ultima*, in qua Regalia stant à Cæsare singulisque Statibus simul exercenda.

VII. Vocabimus illa *Comitialia*, eo quod plerumque in Comitiis publicis ab Imperatore & Statibus vel in propria persona, vel per Legatos comparentibus, solent expediri. Sunt autem ista etsi numero non plurima, tamen pondere momentosissima, ideoque à concursu capitis & membrorum simul suspensa v. gr. Jus suspendendi vel excludendi Statum à sessione & voto in Comitiis vid. *Capit.* Invictissimi Caroli nostri VI. *art. 1.* jus ferendi & interpretandi leges universales *art. 2.* jus belli & pacis. *art. 4.* jus imponendi census, tributa & steuras sive collectas imperiales. *art. 5.* jus exemptionis & moderationis matriculæ & peræquationis, item jus redintegrandi circulos. *ibid.* jus fœderum pangendorum in & extra Imperium. *art. 6.* Jus disponendi circa commercia & monopolia. *art. 7.* Jus corrigendi defectus rei monetariæ. *art. 9.* Jus restituendi Statum suspensum ad votum & sessionem. *ibid.* jus alienandi & oppignorandi bona Imperii. *art. 10.* Jus dispensandi circa decreta executorialia & ordinationis circulorum. *art. 12.* Jus abrogandi vetera vel erigendi aut ordinandi nova Imperii Judicia. *art. 16.* Jus declarandi Statum aliquem in bannum. *art. 20.* Jus admittendi Statum novum ad sessionem & suffragium in Comitiis. *d. art. 5. & 22.* His ex *Instrument. Pac. Osnabr. art. 8. §. gaudeant. 2.* supperadimus jus delectus & ho-

* Ex his videre est, quantum specialis hæc Regalium divisio discedat ab illa communi atque generali. Scilicet quæ Regalium in genere prima, ut vidimus, & immediata divisio est in Immanentia & transeuntia, illa nunc in speciali ad Regalia Imperii nostri descensu demum tertia fit vel quarta.

& hospitationis militum, jus nova in Statuum territoriis nomine publico extruendi munimenta & extructis imponendi præsidia, porro jus mittendorum & recipiendorum legatorum, quod plurimis exemplis, Legationibus scil. ad Reges Galliæ, Angliæ, Batavos & Czaarum Moscov. factis ex Recessibus Imp. commonstat B. Dn. de Kulpis *in disp. de Legat. Statuum Imper. cap. 5. §. 5.* ita tamen, ut circa his Imperatori prærogativa quædam supersit. Id. Dn. de Kulpis. *in disput. de Unitate Reipublicæ in S. R. Imper. §. 20.* Denique jus ponderis & mensuræ universalis per totum Imperium. Vid. post *R. l. de anno 1521. §. 29.* & *de anno 1530. §. 98. Reform. Polit. de eod. anno 1539. tit. 30.* Dum a. hoc ipsum jus singuli Status in territoriis suis vi Jurisdictionis territorialis proprio jure exercent. vid. Myler ab Ehrenbach. *in Metrologia cap. 3.* hinc etiam hactenus in terminis nudæ deliberationis permansit.

VIII. Secundæ Classis Regalia sunt *Cæsareo-Electoralia*, exinde quia hæc à Cæsare & novem Electoribus sine reliquorum Statuum consensu exercentur, ita compellanda. Nimirum gaudent Electores non levi præ cœteris Statibus in Imperio nostro prærogativâ, unde etiam in *novissima* Gloriosissimi Caroli nostri VI. *Capitulat. art 1.* des heiligen Römischen Reichs Grund-Säulen und dessen vorderste Glieder salutantur, ipsisque *ibid. art. 3.* promittitur: Sie als die innerste Glieder und die Haupt-Säulen des heiligen Reichs jederzeit in sonderbahrer hoher consideration zuhalten. Atque hinc quoque est, quod non rarò soli cum Cæsare ad exercitium quorundam Regalium concurrunt, qualia hodie sunt jus introducendi nova vectigalia & vetera augendi vel prorogandi *d. Capit.* Carol. VI. *artic. 8.* jus impertiendi privilegia Stapulæ &c. *ibid.* jus concedendi privilegium monetandi. *artic. 9.* vide tamen, quæ de hoc jure dicimus *infr. §. 16.* jus feuda aperta de novo conferendi. *artic. 11.* His addunt alii jus indicendorum comitiorum universalium. vid. Schweder. *d. l. §. 7.* item: jus declarandi in bannum maximè Statum Imperii, & jus alienandi & oppignorandi bona Imperii, quæ duo posteriora jura tamen ex tenore *d. Capitul. Carolinæ* nunc ad Status quoque reliquos adstricta vidimus §. *superiori.*

IX. In tertia Classe occurrunt Regalia, quæ peculiari voce diximus *Cæsarea*, soli Cæsari seorsim competentia. Ita enim definiri solent, quod sint jura *Regalia, quæ Imperator juxta leges consuetudinesque publicas solus & seorsim exercet.* Vulgo appellantur *Reservata* * in impositione ad communicata. Utrum verò

* De Etymologia & homonymia Reservatorum ex professo egit Stamlerus in pecul. tr. *de Reservatis Imperatoris Romano-Germanici.* Diversum autem eumque quintuplicem hujus vocis significatum vid. ap. Dn. de Cocceji *in*

L. P.

verò Reservata dicantur *passivè*, quasi ab ordinibus Imperatori reservata seu potius relicta: ceu voluit Hipppolit. à Lapide *p. 1. cap. 16. num. 6.* an *activè*, tanquam quæ Imperator activè sibi reservaverit, de eo vid. Dn. D. Schwederum nostrum *in disp. de Aug. Imp. Reservatis. §. 3.* qui idem ineptam illam Reservatorum in ordinaria & extraordinaria divisionem, ceu LLbus fundament, & Capitulationibus contrariam *ibid. §. 4.* rectissimè explodit.

X. Ut verò Reservata Cæsaris eo rectius intelligantur, notamus primo: Sermonem hic nobis non esse de Regalibus, quæ Imperator solus & seorsim exercet in Regnis & Territoriis vel jure hereditario vel jure Status ad ipsum pertinentibus. Sed de Reservatis in respectu ad Imperium Romano-Germanicum exercendis: Secundo, supponimus cum Titio *d. lib. 5. cap. 3. §. 2.* duplicis generis spectari posse Ditiones Imperatori peculiariter destinatas, vel 2. Territoria, in quæ universa Germania nostra est distributa. Sed prioris generis Ditiones cum vel non existant, vel &, si quando Feuda quædam aperta Cæsari reserventur, de iis dubium non sint, quin in illis veram & plenam Majestatem sit habiturus. Id circo ad ista potissimum Reservata digitum hic intendimus, quæ Cæsari competunt in respectu ad Territoria à Statibus jure Territorialiali occupata tam sigillatim, quam conjunctim sumpta.

XI. De his licet nec in LLbus Fundamentalibus, nec in Capitulat. aut Recessibus Imperii expressa sufficiensve eorum mentio injiciatur, legitime tamen præsumendum, quod nisi expressa adsit contraria dispositio, omnia plane Neo-Cæsar jura obtineat, quodque illi omnia ea tacitè reservata liberaque censeantur, quibus Antecessores ejus non saltem ab isto tempore, quo Carolo V. primum Capitulatio præscribi cœpit, sed & retro usque ad ætatem Conradi I. & Henrici Aucupis legitimo modo fuere usi. Et hactenus rectè Titius *d. l. cap. 3. §. 8. dum autem*, inquit, *volentibus Statibus, eodem modo, sicut olim, hodie peragitur electio, hinc pro pleno Imperio facit præsumptionem, quare Statibus id negantibus, incumbit probatio.*

XII. Hinc colligere datur, quod etsi integri hic ibi Reservatorum Cæsareorum Catologi libris illinantur, tamen vix possibile sit, imo & Cæsareæ Majestati

1. P. Prudent. cap. 24. §. 2. Conferator quoque B. Dn. Titii *Spec. Jur. Public. lib. 5. cap. 3. §. 19. sqq.* & post hunc Dn. Brunnemann. *Exam Jur. Public. lib. 2. cap. 2. qu. 4.* qui bini nihil impedire, ajunt, quin & totus complexus Jurium Imperatoriorum tam vulgò sic dictorum Reservatorum, quam illorum, quæ Cæsar simul cum Statibus exercet nomine Majestatis Reservatæ indigitetur. At nimis laxa hæc Reservatorum suppositio in præsenti Dissert. à nobis non attenditur.

jestati periculosum, certum & rotundum eorundem ponere velle numerum: quòdque ex eadem ratione Legati Cæsarei in Pacificatione Westphal. ad crebras licet interatasque Suecici ac Gallici Legatorum instantius id facere prudenter admodum detractarint. vid. B. Dn. de Kulpis *ad Monzamb. p. 2. cap. 5. §. 27*

XIII. Sed nec mirum ob eandem causam tantam inter Publicistas deprehendi confusionem; alii quippe nimis largi sunt & omnia ferè Majestatis jura in hanc classem conjiciendo, iis simul perperam admiscent Jura Comitialia vel Statibus communicata, ita Panegyristas potius acturi, quam sinceros Juris Publici Doctores, in quorum numerum referri merentur Herm. Hermes, Reinking, Stammlerus. &c. Alii vero nimis parci sunt & quantum in ipsis est, omnia Cæsari eripere vel saltim diminuere conantur. * Inter quos eminet famosus ille & in Augustissimam Domum Austriacam injuriosus nimis Scriptor Hippolitus à Lapide in sæpius citato suo libello de *Ratione Status in Imperio Romano-Germanico.*

XIV. Media igitur hic cautè incedendum via, nec nisi ex Legibus publicis ac Observantia Imperiali dijudicandum erit, quid ab eo, ex quo Germania nostra ex successivo & hereditario in Electitium Regnum evasit, tempore, Sacra Sua atque Cæsarea Majestas unicè & privativè, quid porro cum concursu Electorum, quidvè ex consensu & arbitrio totius Imperii & olim potuerit & nunc possit,

---

* Videntur istis favere verba Instrum. Pacis Westphal. §. 8 v. 2. *Gaudeant sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferenda vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta intra Statuum Ditiones exstruenda, nomine publico, veterave firmanda præsidiis, nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile post hac unquam fiat vel admittantur, nisi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu &c.* per hæc enim Imperatori ferè nil proprii tribuendum esse, facile cui imponi poterit. At verò cum & ipsi Cæsareani tempore Pacis statim contra verba ista tanquam nimis generaliter concepta potestati fuerint atque ea propter etiam exceptionem hanc interposuerint: Doch unverletzt desjenigen was der Römischen Kayser und das Churfürstliche Collegium allein betrifft/ und unverletzt derselben Rechten und Hoheiten/auch das alles verstanden werde nach dem im Römischen Reich/von Alters her üblichen Gebrauch. vid. Londorp. *Act. public. Tom 5. lib. 2. cap. 101. respons. 7. in fi.* Itaque per se patet, quam inani lubricoque fundamento opinio hæc Anti-Cæsareanorum sit superstructa.

possit, quid denique lapsu temporis ex his sanctionibus publicis restrictum vel desuetudine inumbratum sit abolitumve.

XV. Etenim viguisse olim quædam Regalia nonnisi ab Imperatore usurpata, quorum usus in Cæsare solitarius hodie cessarit, non uno evincitur exemplo: Tale est: I. *Jus Metallifodinarum*, quod uti inter pristina Cæsaris Reservata recensent Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Statibus Imper. p. 2. cap. 69. §. 1.* & Textor *in Jur. Public. Cas. Tit. 10. num. 92. & tit. 12. num. 478.* nixi & adjuti forsan binis illis Henrici VI. Edictis à Goldasto *Tom. 3. Constit. Imper. p. 362.* & à Pistor. *inter. Germanic. Script. Vet. ex Chronico Episcopi Mindensis fol. 276.* adductis; * Ita illud ipsum posteà ab Imper. Carolo IV. Electoribus quoque communicatum atque confirmatum fuisse testis est Aur. Bulla *Cap. 9.* ** Aft hodie jus illud Metallifodinarum, quod cor & vita provinciarum audit Cothmanno *vol. 4. Cons. 1. num. 110.* quodque sub nomine des Land-Schatzes exponit Struv. *S. I. Feud. cap. 6. aph. 26. num. 1. seqq.* uti & jus percipiendi canonem metallicum optimo jure

* Verba Edictorum Henrici ex Goldasti recensione, & Edicti quidem primi, ita habent: *cum omnis argentifodina ad jura pertineat Imperii, & inter Regalia nostra sit computata; nulli venit dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa, ad nostram totaliter spectet distributionem; Unde in ea nulli hominum quicquam juris recognoscimus, nisi hoc à nostra liberalitate valeat specialiter impetrare.* Posterioris verò sic sonant: *Cum argentifodina, quæ est in Episcopatu Mindensi constituta, ad jura pertineat Imperii, & inter Regalia nostra sit computata; notum fieri volumus* &c. His tamen non obstantibus in contrarium abit Illustr. Dn. Ludewig. *in Comment. ad A. B. cap. 9. pag. 818. sqq.* ibique operosè probat, quod Jus Metallifodin. statim ad Regalia Territorialia pertinuerit, etiam à primo detectionis tempore, quod incidit in ætatem Henrici Aucupis vel potius ejus Filii Ottonis M. Ita enim Ditmarus *lib. 2. pag. 32. Tempore Ottonis I. apud nos prima inventa vena argenti.*

** Contradicunt huic sententiæ præter laud. Dn. Ludewig. etiam alii ab isto allegati Ddres, veluti Tabor *de Metat. part. 3. sect. 2. art. 2. num. 10.* Buxtorff. *ad tit. 9. A. B. th. 89. lit. g. pag. 358.* Auctor. *Consil. Arg. vol. 1. cons. 1. num. 43. sqq.* quod concessione omnium jurium concessa sint metalla, Crusius *ad A. B. tit. 9. pag. 374.* distinguentes inter jus Metallifodinarum & Canonem Metallicum, huncque non istud in Aur. Bull. intelligi asserentes. Sed ne hoc quidem concedit Illustr. Dn. Ludewig. multis rationibus evincere conatus, quod & jus percipiendi Canonem Metallicum simul cum jure Metallifod. semper Dominorum fuerit Territorialium.

jure sibi vindicant indistinctè Domini quique Territoriales. Vid. Recess. Imp. *de ann. 1551.* §. **weiter so setzen.** 48. & Limn. *ad Aur. Bull. de cap. 9. & cap. 24.* Jamque ex seculi nostri moribus privati fodinis, sive in fundo proprio sive in feudali, etiamsi cum omnibus emolumentis concesso, Ziegler *de Jure Majestat. lib. 2. cap. 19.* §. *13.* nedum ergo in loco aliquo deserto repertis, aliter uti haud possunt, quam ex præscripto Dominorum istorum. vid. Struv. *d. l. n. 3.* & Magnif. Dn. D. Majer. nostrum *in Commentar. Jur. Feud. cap. 12. n. 17. pag. 504.* quippe qui in fodinas istas plenum sibi dominium sumentes, privatis, **denen Gewercken/** Leges præscribunt & loco canonis metallici ex singulari indulgentia communiter certam portionem solvendam assignant, **von der Außbeuthe/ einen Bergtheil oder Kuxe/** it: **den Vorkauff an Gold/ Silber/** &c. pro signatione auri atque argenti verò **den Schlegel-Schatz/** nonnunquam etiam certi quid ad pios usus destinant. vid. Struv. *d. l. num. 5.* Besold. *in Thes. pract. voc.* **Bergtheil.** & B. Dn. de Seckendorff **im Teutschen Fürsten Staat.** *part. 3. cap. 3. num. 3. pag. 302.* quæ omnia tamen rectius ex singularum Provinciarum constitutionibus addiscuntur, quas collegerunt Sebast. **Span** *in Speculo Juris Metallici.* **Lohneisen in seinem Bericht von Bergwercken.** & omnino Auctor *Corporis Jur. & Systematis rerum metallicarum, quod prodiit Francofurti 1698. in fol.*

XVI. (II.) *Jus concedendi privilegium monetandi.* vid. **Schwaben-Spiegel** *p. 1. cap. 12.* §. *4.* apud. Goldast. **in Reichs Satzungen** *Tom. 1. fol. 35.* & Ferdinandi I. **neue Müntz-Ordnung** *de anno 1559.* sicuti enim in hac Ferdinandi ordinatione Statibus Regali monetandi jure gaudentibus, **denen Müntz-Ständen/** certus moneras cudendi modus ipsisque monetis singulatis pes sive ligia præscripta legitur: Ita etiam ex ejusdem §. **wäre es auch Sache.** 177. satis superque liquet, eo adhuc tempore solum Cæsarem hoc privilegiandi jus sibi vindicasse. Confirmationis loco allegamus & *Imper. de anno 1570.* §. **alsdann auch.** *132.* utpote in quo jus istud **das Kayserliche Müntz-Regal** appellatur. At verò ex tempore Rudolphi II. Imper. illud Reservatum Cæsaris abiit in Jus *Cæsareo-Electorale.* vid. *Capit.* d. Rudolphi II. *art. 29.* & omnium seqq. Impp. præsertim Leopoldi *art. 34.* Josephi *art. 33.* & *hodierna* Caroli VI. *art. 9.* in qua præterea & id cautum, ut imposterum etiam Circuli cui privilegiandus sub est, præscitus & consilium requiratur, eo legis valore, ut nullum planè inter Status, potentiâ vel superiores vel inferiores, discrimen hac in parte admittendum dicatur. Cæterùm latius de hac controversia contra Hanffmannum suo jam tempore egit Limn. *ad Cap. Matth. art. 34. num. 1. seqq.* Conf. Dn. Krall. *in disput. de Regali Monetarum jure cap.*

2. & Dn. Herm. de Bünau. *in disp. Lips. de jure circa rem moneta r. cap. 1. §. 5.* & imprimis *cap. 3. per tot.*

XVII. In eundem censum referimus etiam III. *Jus declarandi Statum aliquem in Bannum Imperii.* Quod enim & hoc aliquando inter Reservata Imperatorum fuerit, asserere non dubitant Doctores. vid. *de* Reinking. *R. S. & Eccl. lib. 1. cl. 5. cap. 6. num. 147.* qui tamen, dum nullibi de veteri hoc Imperatoris jure clare disponitur, se proprio potius cultro jugulare videtur allegando *Recessum Imper. Spirens. de anno 1542.* §. **würde sich aber jemand.** 102. per verb. *ibid.* **Uns mit Churfürsten / Fürsten und Ständen vergleichen** ꝛc. utrumque autem quæstio habeat *de jure*, quo Regale isthoc ab antiquis Imperatoribus usurpabatur: id tamen certum est, quod *de facto* exercitum fuerit tùm à Carolo V. in Joh. Fridericum Electorem Saxoniæ & Philippum Hassiæ Landgravium, tùm à Ferdinando II. in Fridericum Palatinum, Joh. Georg. Marchionem Brandenburg. & Socios in consulto Collegio Electorali, quanquam, quod pariter fatemur, non sine gravissima protestatione contradictione Statuum, imprimis proscriptorum. Quæ & ratio ac incentivum fuit cur Principes, & Status Imperii mox in Capitulatione Ferdinando III. præscriptâ, libertati suæ expressè caverint, ut ne sine Electorum consensu in posterum quis proscriberetur vid. ipsius Ferdinandi III. *Capit. art. 30.* adde omnino Limnæum *ibid.* & conf. *Capit. art. 28.* & Joseph. *art. 27.* Tandem verò instantiæ ac petita Statuum reliquorum eo usque penetrarunt, ut promissa ipsis jam in Instrum. Pac. Westphal. *art. 8. §. habeantur. 3.* & *in Recess. Imper. noviss. de anno 1654.* §. **in Fällen.** *162. circa fin.* in antecessum data, etiam reapse præstita atque confirmata fuerint in *Capit.* Augustissimi nostri Caroli VI, *art. 20.* **Wir sollen und wollen auch in Acht und Ober-Acht Sachen .... darauf halten / daß hinführo niemand Hohen oder Niedrigen Stands / Churfürst / Fürst oder Stand / oder anderer .. ohne vorwissen / Rath und Bewilligung des heiligen Reichs Churfürsten / Fürsten und Stände in die Acht oder Ober-Acht gethan / gebracht und erkläret** ꝛc. *

XVIII.

* Quod si aliquid conjicere liceat, res reliquorum Statuum hactenus ab hoc jure exclusorum non parum ad jura est privatione & præscriptione Electorum Coloniæ & Bavariæ anno 1706. ab Imp. Josepho gloriosissimæ recordationis prævio consensu cœterorum Electorum *non interessatorum*, uti

XVIII. Sed videamus tamen, quæ sint Cæsaris *Reservata* hodienum ipsi ex recepto Ddum calculo assignanda. Quod si B. Titium *in Spec. Jur. Public. lib. 5. cap. 3.* & qui vestigia ejus legit Dn. D. Grassum nostrum *in Dissert. de Reservatis Imper. §. 4. pag. 5.* audiamus, omnia Cæsaris Reservata respiciunt vel 1. *Statuum Territoria & Subditos* vel 2. *Status ipsos* vel 3. *Negotia totius Imperii.* Nos in enumeratione ipsorum brevi penicillo exhibendâ sequemur ductum Dn. D. Schwederi nostri *in disput. de Reservat. August. Imperatoris. §. 4. sqq.* scilicet, quemadmodum omnia Regalia in genere vel circa res sacras vel circa negotia secularia versantur: ita & jura Cæsaris vel *Ecclesiastica* sunt vel *Secularia* seu *Politica.*

XIX. Ad *Ecclesiastica* Schwederus suo modo hodienum referendam censet supremam Sacrorum curam & defensionem juxta leges publicas, Jus instituendi Concilia iisque præsidendi actaque & conclusa in iisdem confirmandi, Jus Advocatiæ, vel protectionis non solum Sedis & Ecclesiæ Romanæ, verùm universæ Ecclesiæ Christianæ, Jus constituendi vel confirmandi Ecclesiæ Præsules & Antistites, ut sunt Episcopi, Archi Episcopi, Patriarchæ & Pontifex ipse, supremam Jurisdictionem circa personas & res Ecclesiasticas, Jus disponendi de bonis & beneficiis Ecclesiasticis, Jus primarum precum, ordinationem temporis, mensium, hebdomadarum, dierum & feriarum. *

uti loquuntur, factâ. vid. Anton. Fabri **Staats-Cantzley** part. XI. & XII. Tum enim controversia illa per integrum ferè Seculi spatium agitata, quasi recruduit & tandem per *novissimam hanc* Caroli VI. *Capitulationem*, fuit determinata. Cœterùm totam litigii hujus de jure declarandi Statum aliquem in bannum usque ad ætatem laudatissimi modò Josephi historiam reperias apud Auctorem *Mediat. ad Instrum Pac. Cæsareo Suecicum specim. VIII. art. 8. not. y. pag. 1145.* Ubi hic omnia, quæ à multis retro annis, præsertim verò post tempora Pacis Westphal. circa hoc punctum agitata fuerint, accuratè recenset.

* En jura Cæsaris Ecclesiastica! miraberis fortè nos cum Dn. D. Schwedero ea ad jura Cæsarea referre, quæ ex usu & praxi hodierna potius vel Comitialia sunt, vel à Pontifice Rom. Cæsari erepta. Sed sit ita. Nos primo hic exscribimus Dn. D. Schwederum, & quæ huic in hoc argumento visa fuerunt, narramus. Secundo putat Dn. D. Schweder, hæc jura

XX. Ad *Secularia* pertinet Jus conferendi Dignitates Illustres & alias per totum Imperium valituras, seu Jus creandi Reges, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Landgravios &c. Jus confirmandi Academias & his concedendi facultatem dispensandi honores ac gradus Academicos, Jus circa Officia Imperii, illa scil. quæ hodienum personalia, quanquam hæc pauca sint, non hereditaria. Jus investiendi Status Imperii de Feudis Imperii tam ecclesiasticis, quam secularibus; de quo tamen jure disputari solet, num propriè inter Majestatica sit referendum, eo quod à Cæsare vi Dominii directi, exerceri videatur; Sed sortassis præter rem. Certe Majestas & Dominium directum se invicem non tollunt aut impediunt; subordinari ista debent, non opponi. Ex eo enim quod aliquis sit Cæsar, fit etiam Territoriorum Imperii Dominus directus, adeoque Majestas Cæsarea Dominii directi fundamentum est. Jus cognoscendi de feudis Imperii Regalibus lite inter Principes vel Comites Imperii ceu convasallos exorta. Jus cognoscendi de privilegiis à solo Imperatore concessis. Jus cognoscendi de controversiis vectigalibus inter Electores & alios Status Imperii sive Actoris sive rei partes aliquis Electorum sustineat. Jus cognoscendi de controversa Statuum in sessione Comitiali aliisque actibus præcedentia. Jus ultimæ cognitionis & extremæ provocationis, quod hodienum potissimum in Celsissimo Judicio Aulico à Cæsare exercetur, Jus veniam ætatis tam Principibus, Comitibus &c. capessendum Regimen provinciarum, quam privatis concedendi. Jus famæ restituendæ, Jus illegitimè natos legitimandi & natalibus restituendi. Jus literas ac inducias moratorias indulgendi. Jus nundinas generales, solennes ac privilegiatas concedendi. Jus absolvendi à Juramento quoad effectum agendi, quamquam hoc & Cameræ Imperiali competat. Jus proponendi in Comitiis Imperialibus. Jus dandæ Civitatis. Jus concedendi exteris potestatem milites in Impe-

jura suo tamen modo inter Reservata Cæsaris esse numeranda. v. gr. Si hodie Concilium indicendum foret universale utique jus illud convocandi Cæsaris foret, non Statuum. Ita etiam, licet suprema Sacrorum cura & ordinatio temporum hodie ad jura Comitialia pertineat, sano tamen sensu solus Cæsar supremus Ecclesiæ Nutritius est. conf. quem *l. c.* allegat Schweder. Joh. Wolffg. Textor *in Jure Public. Cæsar. tit. 2. num. 8.* Tertio quæ jura Pontifex Roman. Cæsari surripuit, ea ad ipsum tamen hodienum spectant, si quæstio sit juris, non facti. Quarto utique fatemur strictè loquendo solum jus primariarum precum hodie Reservatum Cæsaris esse ecclesiasticum.

Imperio conscribendi. Jus postarum Universalium: das Regal durchgängige General Reichs-Posten zu bestellen. Addit his Jus viarum publicarum Vitriarius *in Inst. Jur. Public. lib. 3. tit. 2. §. 55.* quod tamen non alieter, quam quatenus Juris postarum consectarium est Cæsari asserendum venit, uti rectè judicat. B. Dn. Titius *in Specim. Jur. Public. lib. 5. cap. 3. §. 55.*

XXI. Circa omnia atque singula hæc jura Cæsaris notandum; ab aliis aliter illa tradi, dividi, distingui, nunc augeri, nunc minui, nunc huc nunc illuc trahi; omnes verò Auctorum enumerationes (vide quæ supra diximus) mancas esse, veldeque imperfectas; Deinde: competere quidem hæc jura Imperatori, sed magna cum moderatione, & ne quid in præjudicium Statuum cedat, effectui danda: Pleraque etiam per novas pactiones ac Capitulationes admodum limitata atque circumscripta sunt vid quæ de jure Dignitates conferendi extant in *Capitul. novissima* Caroli VI. *art. 22.* & de jure conscribendi pro exteris Regibus ac Rebuspublicis militem in Imperio *art. 4.* conf. sæpius laud. Titius *d. cap.* item: Do. Brunnemann. *Exam. Jur. Public. lib. 2. cap, 2. qu. 7. sqq.* Denique esse multa inter modo recensita jura, quæ & Status, saltem majores exercere queant, in proprio scil. territorio (ultra hæc enim ista valorem suum haud exerunt, in eo à Cæsareis distincta) v. gr. instituere Academias, erigere civitates, ordinare nundinas, concedere privilegia, dare veniam ætatis, spurios legitimare &c. Differunt ergo hæc Regalia Statuum à Reservatis Imper. tantum quoad modum & effectum, nec ad Reservata requiritur absolute, ut à solo Cæsare eadem teneantur.

XXII. Atque ita tandem ad alteram primæ divisionis partem *Jura* scil. *Territorialia* seu *particularia* pervenimus, quæ ut paucis, antequam disputationi nostræ colophonem imponamus, tangantur, præsentis instituti ratio exposcit. Diximus ea jura *Territorialia* vel *particularia.* Malumus tamen ad hanc posteriorem denominationem attendere, eò quod hæc Regalia vel in *Statibus* conspicua sunt, vel in *privatis*; Prioris genetis stricto nomine vocabimus *Territorialia.* Hæc *Privilegia* etiam privatis & Civitatibus Imperii mediatis competentia.

XXIII. Jura Imperii *Territorialia* nobis dicuntur ea, quibus Principes ac Status vi potestatis Territorialis & virtute veri Dominii, non autem instar Magistratus aut Jure saltem administrationis, gaudent, ita at in terris ac ditionibus suis quævis pro lubitu disponere, omniaque ex nutu & arbitrio diri-

gere possint. Quod enim Imperator in universo Imperio sibi sumit, idem & Status, imo cœteris paribus, nonnunquam plus sibi vindicant in suis Territoriis, idque vigore *Superioritatis*, quam vocant *Territorialis*. Hanc verò non per Pacificationem demum Westphalicam, * quod perperam nonnulli volunt, sed inde jam ab antiquis temporibus Status acquisivere inque heredibus suis legitimè ad ætatem usque suam propagarunt.

XXIV. Dividimus hæc Regalia ** *Territorialia* rursus in *Immanentia* & *Transeuntia*, utraque hæc in *Ecclesiastica* & *Politica*. *** A recensione autem

* In hujus siquidem Instrumento omnia & singula ea jura, quæ Status Imperii in Ecclesiasticis æque ac Civilibus vi Superioritatis Territ. possidebant, ipsis saltem confirmata, non demum collata fuerunt. Quod ex ipsis *Instrum.* verbis *art. 5. §. 30.* sat clarè innuitur. ibi: *cum ejusmodi Statibus immediatis num jure Territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium, hactenus usitata praxi etiam jus reformandi competat &c. Conventum est, hoc idem porro quoque ab utriusque Religionis Statibus observari, nullique Statui immediato jus, quod ipsi ratione Territorii & Superioritatis in negotio Religionis competit impediri oportere.* Et hoc respectu etiam Pax ista Palladium & Arx inexpugnabilis itemque columna & basis, cui tota structura Imperii innititur, rectissimè appellatur. De acquisitione autem ipsius Superioritatis Territorialis id tenendum, quod quinque Duces Germaniæ sive Provinciarum veteres illam statim post extinctionem Lineæ Regnatricis Carolingicæ, reliqui Principes post Henricum V. & proscripto Henrico Leone; plurimi Episcoporum & Comitum verò post Interregnum magnum successivè demum fuerint consecuti. vid. Ill. Dn. de Cocceji *Juris publ. prud. cap. 21. §. 10. sqq.*

** Sunt quibus disceptandi voluptas, num hæc jura Territorialia propriè sint Regalia? Verum nos inanem hunc laborem autumamus, postquam res decisa in ipsis Capitulationibus Cæsareis v. g. in *ult.* Caroli VI. utpote in qua hæc Jura expressis verbis Regalia **und Obrigkeiten** appellantur *art. 1.*

*** Quoad hæc, Regalia sc. Politica, una quidem eademque omnium Statuum conditio est. Quoad Regalia Ecclesiastica, seu Jura circa Sacra verò insigne inter eos, qui Pontifici Romano & eos, qui Augustanæ Confessioni nomen dedere, discrimen intercedit. Priores enim, cùm ad

tem istorum superedemus tanquam superflua cum quidem ex datis jam appareat, omnia ea inter Regalia Statuum Territorio gaudentium jura numeranda esse, quæ vel in genere ex Majestate, cujus æmula est Superioritas Territorialis, scaturiunt, vel Cæsar in toto Imperio exercet. Patet id ex fine Territoriorum ceu Rerumpublicarum subordinatarum, qui est flos ac felicitas subditorum, tum interna, tum externa. Namque ad hunc obtinendum ferè iisdem Regalibus opus est, quibus ad felicitatem Universi Imperii Romani. Quod si ergo Domini Territoriales certorum quorundam Regalium exercitio abstinent, id vel inde est, quod ea ad fines obtinendos præcise necessaria non sunt, vel quod aut expressè aut tacitè iis ipsi renunciarunt. Exemplo est jus monetandi, jus vectigalium, jus extremæ provocationis, jus cognitionis in controversiis Statuum &c. Hæc enim jura, quamvis pro re nata Statibus integra non sint, sed vel Cæsari vel Imperio, qua integrum Systema formant, reservata, tamen Majestatem, quam ipsis tribuimus haud destruunt, cumque illa adhuc optimè consistunt.

XXV. Alia prorsus facies est *Regalium Particularium*, quæ & in hominibus, privatis aut civitatibus Imperii mediatis deprehendi diximus: Horum Existentiam negare, esset negare experientiam. Ecquis enim inficias iverit,

---

ad unum omnes, ne Augustissimo quidem Cæsare excepto, in rebus Ecclesiasticis Curiæ Romanæ subsint, ne minimum quidem, quod vel è longinquo Ecclesiam spectat, Jurisdictioni suæ reservatum ac relictum habent. At Principes ac Status Evangelici, sive Lutherani, sive Reformati, postquam purioris Evangelicæ veritatis luce collustrati, Jugum istud Papale tandem excussere, jam pristina Jura circa Sacra, ab Episcopo Romano hactenus usurpata, ipsa iterum possident exercentque in solidum sibi restituta; id quod post Grotium, B. Dn. Stryckium, Illustr. Dn. Dn. Thomasium & Bœhmerum, omnium novissimè latè ac solidè deduxit Dn. Joh. Georg. Reinhard. Consil. Elect. Saxon. *in Meditationibus suis de Jure Principum German. cumprimis Saxeniæ circa Sacra ante tempora Reformat. exercito. cap. 2.* itemque *Auctor*, qui sub nomine David Mansueti de S. Germanis hucusque latitare ac cum grano salis legi vult, *Prodromi* haud vulgariter elaborati *de Abusu Brachii Secularis in Foris Protestantium.* Quibus è nostratibus jungi merentur Magnif. hujus Universi. Cancellarius, Dn. D. Jæger *in tr. de Concord. Imperii & Sacerdotii*, & Dn. Prof. Röslerus *in Disp. de jure circa Sacra.*

iverit, dari Civitates municipales, quin & cives Imperii mediatos, qui ex singulari Imperatoris vel Domini Territorialis indulgentia juribus gaudeant Regalibus tum, quæ vulgo appellitant, *Majoribus:* v. g. nobilitandi, legitimandi, creandi Doctores, Notarios &c. tum *Minoribus:* veluti jure venandi, piscandi, habendi metallifodinas, molendina bannalia &c. Quare oppido falluntur Reinking. *de R. S. & Eccl. lib. 2. cl. 2. cap. 2. num. 234.* Arnisæus *de Jur. Majest. lib. 2. cap. 2. num. 1. sq.* & alii, asseverantes, exercitium horum jurium, Majorum præsertim, quippe quæ summæ potestati inseparabiliter sint connexa, in privatis reapse nuspiam inveniri. Profecto enim quotidianæ isti experientiæ contradicunt. Interea fatendum magnam inter hæc & Regalia priora differentiam intercedere. Propriè enim loquendo privilegia sunt à Cæsare vel quandoque etiam à Domino Territorii concessa, nec alio sensu Regalia dicenda, nisi quatenus à Rege vel Superiore conferuntur; consequenter ista non jure proprio, sed ex placito Superioris possidentur, adeoque definiri debent, quod sint *privilegia certis fruendi per Imperium vel certum aliquod territorium fructibus, illæsa tamen Dominorum apud quos degunt, Majestate sive Superioritate Territoriali.* Sed manum de tabula! Atque hic esto Disputationis nostræ finis.

XXIV.